

05

A

438





EXPLANATIO CAP IX. ESAIÆ,

Quam

Deo ter opt. Max. potenter adjuvante,

SUB PRÆSIDIO

Viri Admodum Reverendi, Excellentissimi & Clarissimi

DN. VVILHELMI LYSERI,
Sacrosanctæ Theologiæ Doctoris & Professoris pu-
blici celeberrimi, Alumnorum Electoralium Inspectoris
Gravissimi, RECTORIS H. F. MAGNIFICI, Præceptoris ac
Promotoris sui, sanctâ observantiâ ætatem
colendi,

Publico Examine subijcit.

M. MICHAEL SCHNEIDER
Betterfeldâ-Saxo.

*Ad d. ~~30. Decembris~~ In auditorio Majori.
5. Januarij*



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum CHRISTIANI THAM,
Anno MDCCXXX.

EXPLANATIO
CAPITULI

De ...
...

DR. WILHELMI ...
...



84 A 438

...





בשם יהוה



Nter alia encōmia, quibus Rex & Propheta David virtutes *Verbi Divini* decantat, ejusdem *Jucunditas* facilè primatum obtinet, quam hiscè verbis expressit. Psal. 19. v. 9.

פְּקוּדֵי יְהוָה יִשְׂרָאֵל מִשְׁמַחֵי לֵב

Etenim si ad omnia, quæ in hac rerum Universitate Jucunditatis colore tincta apparent, oculorum aciem converterimus, experimento discemus, omnia abundantissimè scripto Dei verbo convenire. Sunt, qui delectantur *Historiis*, quippè quarum beneficiò res seculi retrolapsi sibi in mentem revocare possunt, Hinc literarum monumentis proditum est, *Alexandrum M.* tantò ardore erga scripta *Homeri* flagrasse, ut ea interdum *aureæ arcule*, noctu verò pulvinari suo reservanda daret: Ast quantò majori delectatione *Sacra Divini verbi historia* leguntur? Hæ nos de Dei voluntate informant, à vitiis deterrent, ad virtutum studia invitant, & animum de fatigatum mira jucunditate permulcent. Dignæ profectò sunt, quæ *capsulæ cordis nostri* includantur, & debitâ industriâ pellegantur. Alii in cognoscendo *Jure* maximum delectationis suæ momentum positum habent: Verùm cur non potius *Sacra divini codicis volumina* evolvamus, hæc enim saluberrimâ *summi Juris* cognitione nos imbuunt, hæc sunt *Judicia Domini vera, justificata sunt pariter* Psal. 19. 10. Nonnulli *Facultatem medendi* inter delicias habent: Multò preciosior *Medicina Verbum Dei* est, *morbum enim animæ, peccato infectæ, neq; herba, neq; malagma sanat, sed tuum, ò Domine, Verbum, quod sanat omnia* Sap. 16. 12. Multi gaudent opulenta *Magnatum Tbesauraria* perlustrare, amœnos in *hortos* exspatiari gaudent multi: Sanctum Dei verbum est, quod *recondita celestis aule mysteria* nobis recludit, quæ pia mens non rimando, sed admirando contemplatur: Sanctum

Verbum Dei verbum *Spiritualis Animarum hortus & Paradisus est*: In hoc conspectui nostro se sistit *Arbor Vita*, Christus, qui est *beatissimum illud lignum vite* de quo Apoc. 12. v. 2. In hoc obvia nobis est *Arbor scientiae Boni & Mali*, Lex Dei, quæ bonum eligendum, malum verò fugiendum esse docet. In hoc oculorum nostrorum aciem perstringunt multæ dictorum myriades, quæ instar *flosculorum manu devotionis tractata*, desiderabilem vividæ consolationis *succum* sudant. Scimus multos se *Armamentarius* delectare, multijugâ machinarum, saxorum volantium, similiumque tormentorum supellectile instructis: Quem verò fugit Scripturam S. *spirituale esse Armamentarium*, quippè in quo reperire est *Malleus legis* Jer. 23. v. 19. *Funda Davidis*, seria scilicet & ardens *Precatio*, quæ *Infernalem Goliathum* prosternit I. Sam. 17. *Armatura Dei*, *Lorica Justitiæ*, *scutum fidei*, *galea salutis*, & *gladius Spiritus* Eph. 6. v. 14. II. seq.

Nonnullis splendidum *auri lutum*, *Margarita*, similesq; opes & *Divitiæ* ansam delectationis præbent: *Preciosissimus thesaurus*, *Præstantissimum aurum*, nobilissima *Margarita* Verbum Dei est, *cujus comparandæ causa omnia vendere debemus* Mat. 13. v. 45. *Aurum est* (Psal. 19. v. 13.) *ob generositatem*, quâ omnia antecellit: *Aurum est ob Puritatem*, quâ sordes cordis humani abstergit Psal. 19. v. 12. *Aurum est ob illuminationem*; qua tenebras intellectus dispellit: *Aurum est ob confortationem*, qua nos in humilitate sustentat, ne pereamus Psal. 119. v. 9. 2. Aliis volupe est *lautis epulis & delicatis cibis* se pascere: *coelestis animæ cibus* est Verbum Dei Mat. 4. v. 4 *quovis melle dulcior* Psal. 19. v. 13. Hoc est verum illud *Lac* *cujus potus alimur & enutrimur* I. Cor. 3. v. 2. Qui æstivò tempore vehementioribus solis ardoribus defatigantur, ad *fontes & aquas* decurrunt, ut sitim restinguant, & unde lætentur habeant: Magna magni Dei *elogia* sunt *Fontes Israël*, qui animas, peccatorum & afflictionum æstu confectas refocillant ac foecundant, ut siti rerum terrenarum expletâ veros bonorum operum fructus proferant Psal. 1. v. 2.

Porro quæ hæcenus de scripto Dei Verbo in genere sunt dicta, ea quoque in quemq; ejusdem *librum*, imò quodlibet *caput* *quædrant*. *Quemadmodum enim quævis gutta aquæ aquadici meretur*

meretur, quippè cujus temperamentum & virtutem pro sua
portione refert: Ita & quilibet sancti codicis liber, nec non quod
libet cujusvis libri caput, ea, quibus Scripturam S. salutavimus,
elogia meretur, eademq; virtute, quâ totum sacræ Doctrinæ cor-
pus eveximus, pollet. Exemplo & Documento nobis sit præ-
sens nostrum caput *Propheta Esaiæ*. Enarrat hic in illo *historiam* lon-
gè jucundissimam, Nativitatem & Beneficia Messia concernen-
tem, quam meritò arculæ cordis reservandâ dare, ac in perpetuo
conspectu habere decet. Informat nos de viis *Iudiciorum Dei*, quas
in Ecclesiæ gubernatione observare solet. *Morbum animæ nostræ*
non saltem indicat, sed ejusdem quoq; *Remedium* describit &
commendat. Præterea recenset ejusmodi *mysteria*, quæ sunt
mirabiliter singularia, ac singulariter mirabilia, *Incarnationem*
nempè Filii Dei, nec non duarum Naturarum in Ipso unionem.
Monstrat nobis in *hortulo* capitis hujus præter alios *Dictorum*
flores *Arborem scientiæ Boni & Mali* imò ipsam *Arborem vitæ*,
Christum. Commendat nobis in hoc *Spirituali Armamentario*
fundam Davidis, præcationem, quâ manum Dei extentam aver-
tere possumus: *Loricam Justitiæ*, quam per veram *Pænitentiam*
induere, *scutum fidei*, quo ingruentium tentationum sagittas
excipere debemus. Edisserit, quæ sint *veræ Divitiæ*, acquisita
nimirum *Justitia Christi*, quam pauperes *Spiritu*, peccatorum
pondere depressi, manu fidei recipiunt, sibi que applicant. Do-
cet ulterius, quæ sint *coelestes animæ Epulæ*, nempè *Participatio*
beneficiorum Messia, quâ ab æterna fame tuti sumus. Derivat
deniq; in omnes, æstu calamitatum arefactos, *aquas vividæ con-*
solativnis, quando liberationem ab insultibus & sarcasmis, qui-
bus infernales hostes nos exagitarunt, verbis sat dignis depingit.
Quapropter eò ardentiori devotione & majori industriâ expla-
nationem nostri jam laudati capitis instituemus, quo gratiori
rerum jucunditate illud refertum esse scimus. Cùm verò in-
confesso sit bonam dispositionem rei clarissimam afferre lu-
cem, idèò nos quoque intra certos ordinis limites continebimus,
ut eò feliciter telam suscipiendæ narrationis pertexere queamus,
apposituri scilicet:

- I. **Generalem totius capituli Partitionem,**
- II. **Genuinam Verborum Textus Expositionem, in qua
versionem Vulgatam sequemur, originali tamen lin-
guâ non neglectâ,**
- III. **Quæstionum quarundam Decisionem,**
- IV. **Dictorum, apparenter sibi contradicentium concilia-
tionem, & tandem**
- V. **Locorum Moralium collectionem & Annotationem.**

Christe tua intensis pulsamus pectora votis,

Ut nobis luce gratiæ tuæ viam monstrare velis, quo depul-
sis omnibus errorum tenebris verum sensum verbi tui inquiramus,
inquisitum perpendamus, perpensum ad Nominis Tui
gloriam ac nostrorum omnium emolumentum transferamus,
per & propter sanctissimum meritum tuum Amen.

GENERALIS CAP. PARTITIO.

Partes cap. IX. Esaiæ duæ sunt. In priori proponit Propheta
Consolationem, Messiaë Beneficia describendo, In posteriori subjun-
git comminationem, pœnas fatales Israelitis denunciando. Meliori
contextus intelligentiæ me consulturum fore arbitror, si totum
caput sequentis Tabellæ cancellis inclusero.



PARS

Prior est Evangelicā
& consolatoria, ac
describit ventur
um Messiam:
In hac observa
Christi

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through or ghosting.]

PARIS

1717



salutaris Populi in tenebris ambulantis Illuminatio vers. 1.
Gentium Vocatio vers. 2.

Beneficia que sunt:

Spiritualis exultatio, quæ describitur gaudij

Indicatione vers. 2.

comparatione cum Messæ spoliis ibid.

Ab hostibus spiritualibus Liberatio, quæ

attingitur, factâ mentione

Jugi i. e. peccati
Virgæ i. e. pænarum
Baculi i. e. Legis

confertur cum Victoria Gideonis v. 3.

Pacis spiritualis Recuperatio vers. 4.

Persona, quæ discr. quoad

Naturam Divinam

quando Propheta munit

Filij Dati

Humanam

Parvuli Nati

Nomina, quæ nos de beneficiis Messie commonefaciunt, quorum sex:

Admirabilis
Consiliarius
Deus
Fortis

vers. 5.

Regnum quod descr. à

Forma: per impositionem Principatus super humerum.

Pater Æternitatis
Princeps Pacis

Latitudine & Multiplicatione

Foundatione in iudicio & Justitia

Duratione quæ æterna dicitur.

Sede, quæ est solium David

v. 6.

Epiphonema, quo priori capitis parti Propheta colophonem imponit v. 6.

Propheta Prefatio, quæ continet

Prophetiæ missionem
Missionis Autorem
Prophetiæ objectum

Posterior est Legalis & Comminatoria, quæ miserabilem statum Reip: Judaicæ depingit. In qua occ.

Ipsa Narratio

Culpa seu Peccatorum quorum sunt quinque

Animi Elatio, quæ

perstringitur vers. 8.

Ejusdem obstinatio vers. 13.

Populi per Prophetas seductio vers. 15.

Hyprocritica simulatio vers. 16.

Immanis opum Appetitio vers. 18. & 19.

causa efficiente vers. 11. 12. 16. 20.

causa *αργυρημένη* furore & ira Dei

indicatur v. 12.

Pœna seu suppliciorum quæ descri:

causis ministris

Assyrii

Hostibus qui sūt (v. 16.)

Syrii

comserâois defectu

Philistai

v. 10. quæ adumbratur metaphorâ ignis v. 17.

ab objecto, hominibus puniendis, qui vel conditionis

Summæ, quæ capi & caudæ

Mediæ & arundini

Infimæ & iunco

comparantur

v. 14.

PARS

Salutem Populi in caritate
Gentium Vocato etc.

Benedictus qui
tunc:

spiritus sanctus
qui procedit

Ab latere Spiritus
Santis procedit

Et in Spiritum Sanctum
et in Spiritum

Sanctum Dominum
et coequaliter
et consubstantialem

Patremque ex eodem
genere et eodem
substantia et
consubstantialem

Patremque ex eodem
genere et eodem
substantia et
consubstantialem

Patremque ex eodem
genere et eodem
substantia et
consubstantialem

Patremque ex eodem
genere et eodem
substantia et
consubstantialem

et ex Patre
et Filio
et Spiritu Sancto
et ex Patre
et Filio
et Spiritu Sancto
et ex Patre
et Filio
et Spiritu Sancto

cap
Po
opt
pa
ver
en
ce
stro
illu
174
Jud
spa
mis
qui
Ma
in
int
D
gul
ple
amb
ver
glu
pul
in
ne
cie
run
v

PARS PRIMA.

Populus qui ambulat.] Nonnulli à præcedenti v. c. 8. Nonnulli V. 1. caput Prophetæ Eſaiæ ordiuntur; verum nos ab hiſcè verbis: *Populus qui ambulat &c.* initium ejusdem ſumimus: 1. propter optimam dicti verſiculi cum cap. 8. coheſionem, ſatis luculenter per particulam ratiocinativam ׀ expreſſam. 2. propter noſtrorum verborum à verſu antegreſſo in Textu authentico Diſtinctionem: cum enim in quam plurimis exemplaribus Hebraïcis verſiculus præcedaneus cum cap. 8. connectatur, & ſic à ſequenti, qui in noſtro capite primus, diſtinguatur, non video, quâ neceſſitate illum à cap. 8. ſeparare cogamur?

Populus.] Per Populum cum Luthero Tom 3. Jen. Germ. p. 174. intelligimus 1. *Primario & in ſpecie Judæos*: nam ſuper Terræ Judaicæ horizontem Chriſtus radios Evangelicæ Lucis primum ſparſit, caligine errorum in religione, concionibus ſuis graviffimis depulſâ. Hinc vaticinium hoc ad Judæos, præſertim illos, qui in ſinibus Zabulon & terra Naphtali habitabant, accommodatur Mat 4. v. 14. 15. 16. 2. *Secundario & in genere omnes non renatos*, in quorum cenſu etiam ſunt gentes. Ad has Zacharias digitum intendit, in hymno ſuo Luc. 1. v. 79. decantato.

Qui ambulat.] In textu Hebr. eſt participium Kal pl. num ׀ הַלְכִים à R. ׀ הַלֵךְ conſtructum cum præcedenti nomine ſingulari ׀ עַם, qua formulâ loquendi, Hebræis familiari, notatur plerumq; vis diſtributionis, ut ſit ſenſus: omnes ex illo populo in tenebris ambulâſſe. Confer. cap. 49. Gen. v. 22. ubi nomen pl. בְּנוֹת verbo ſing. ׀ עַדְדָה ad ſimilem vim diſtributionis innuendam agglutinatur, & Pſal. 8. v. 9. ubi pl. ׀ בְּנֵי cum ſing. Benoni ׀ עֵבֶר copulatur.

In Tenebris.] Vox Tenebrarum (Hebr. ׀ חֹשֶׁךְ) ambigua eſt, & in varias ſignificationes rapitur. Sumitur enim 1. pro caligine, luci naturali oppoſita, Gen 1. 1. Tenebræ (׀ חֹשֶׁךְ) erant ſupra faciem abyſſi 2. pro obſcuratione Intellectus id eſt ignorantia rerum Divinarum Joh. 1. v. 5. Tenebræ eam nõ comprehenderunt, Act. 26. v. 18. *Vt convertantur à tenebris ad lucem*, conjunge Eph. 4. v. 18. cap.

cap. 5. v. 8. &c. 3. pro omni generis calamitatibus, angustiis & afflictionibus Esa. 1. v. 30. Tenebra afflictionis (תַּיִשׁוּרִים) Sic Thren. 3. v. 2. Job. 3. v. 23. c. 15. v. 22. c. 17. v. 12. Mich. 7. v. 9. 4. non saltem pro ignorantia tam pure negationis & nuda inscitia; quàm pro ignorantia, prave dispositionis & omnigena impietate ac malitia Rom. 13. v. 12. Abijcimus opera tenebrarum Eph. 5. v. 8. Eratis aliquando Tenebrae, nunc autem Lux in Domino 5. pro squalore infernali & aeterno Mat. 8. v. 12. c. 22. v. 13. c. 25. v. 30. 2. Pet. 2. v. 17. 6. pro receptaculis mortuorum & sepulchris Psal. 87. v. 13. Nunquid cognoscuntur in tenebris (תַּיִשׁוּרִים) Mirabilia tua? 7. & ultimò pro locis secretis, & ab humana societate alienis, Psal. 107. v. 10. Sedentes in tenebris (תַּיִשׁוּרִים) & Umbra Mortis id est carceribus, Mat. 10. v. 27. quod dico vobis in tenebris 1. Cor. 4. v. 5. qui illuminabit abscondita tenebrarum. Harum significationum secunda, tertia, quarta & quinta sunt hujus loci; ceteræ instituto Prophetæ non conveniunt. Deduco hoc ex oppositione Lucis, quàm Christus, ut in progressu audiemus, insinuat. Dispellit enim hic tanquam sol Justitiæ Mal. 4. v. 2. tenebras mentis, eandem luce Evangelii illuminando Eph. 1. 18. Joh. 1. v. 18. Dispellit tenebras afflictionis, dum pios consolatur, eisq; viam monstrat, quàm ex caligine angustiarum eluctari possint Psal. 91. v. 15. Dispellit tenebras affectate malitiæ & Impietatis, nos renovando, ut lux nostra coram hominibus luceat Mat. 5. v. 16. Dispellit denique tenebras æternas & exteriores, nos ex tenebricosa hac miseriarum valle in beatam æternæ felicitatis sedem transferendo, ubi Beati neq; solus, neq; Luna lumine egent Esa. 60. v. 19. Apoc. 22. 5. Emergit ex dictis talis Prophetæ sensus: Ante lucis magnæ id est Christi adventum omnia fuerunt tenebris circumfusa, quantum ad cognitionem Dei, veram Tranquillitatem, Pietatem & felicitatem æternam attinebat, imprimis quidem apud Græcos sive Ethnicos: aliquadantenus verò apud Judæos, quippè quibus vera illa Lux typis tantum adumbrata fuit. Ast ex oriente sole Justitiæ omnes obstantes tenebræ sunt diffusæ.

Vidit:] In Hebr. habetur verbum plur. רָאוּ Viderunt, quod ad præcedens Participium רָאוּ refertur. Positum autem est hic

hic, ut & alibi sæpè in hoc cap. Præteritum pro Futuro propter
eventus certitudinem.

Lucem magnam] *Jansenius in cap. 25. concord. explicat hæc, quæ*
de Visione lucis Magnæ dicuntur de Judæis, à Sennaheribo sub
Rege Ezechia obsessis: Viderunt enim hi lucem id est liberatio-
nem & lætitiã magnam, cum hostes planè singulari modò ab
Angelo profligarentur Esa. 37. v. 36. Verùm hæc explicatio à
textu nonnihil secessum facit, nam 1. nulla in eo videmus vesti-
gia, quibus exercitus Assyriorum exprimatur. 2. Prophetam
hoc suò vaticiniò longius ad tempora Messiaë prospexisse di-
spalescit ex testimoniis N. T. superius adductis. Nos igitur
exponimus Lucem *Primò de Christo; Deinde de Evangelio præeun-*
te *Luthero Tom. III. Jen. Germ. p. 174. I. Christus non solum in*
N. T. Joh. 1. v. 8. c. 3 v. 19. 10, c. 8. v. 12. c. 9. v. 5. c. 12. v. 35. Luc. 2.
v. 32. Sed etiam in V. T. Esa. 42. v. 7. c. 29. v. 6. c. 60. v. 1. Luci
comparatur; partim ratione *Personæ*, partim verò ratione *officii*.
Ratione *Personæ* aliquadantenus nomine Lucis exprimitur I. *Ejus*
Naturæ Divinæ: Quemadmodum enim 1. *Naturæ lucis est ἀπαύ-*
γασμα quoddam emitte, & splendorem ex se quasi progigne-
re: Ita Filius Dei est ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρῆς καὶ
τῆς ὑποστάσεως αὐτῆς (πατρὸς) Hebr. 1. 3. 2. quemadmodum
Lux & splendor suò quidem modò distinguuntur, non tamen τῆς
οὐσίας differunt: Sic etiam Pater & Filius in S. S. Trinitatis myste-
rio, proprietatibus Characteristicis, γενήσεσιν scilicet καὶ ἀγενήσεσιν
à se invicem distinguuntur, ita tamen ut ὁμοούσιοι sint Joh. 10. 30,
3. Sicut Lux & splendor à primo statim rerum creatarum mo-
mento intimè fuerunt conjuncta: Ita Pater & Filius sunt coæquales
& coæterni Mich. 5. v. 2. Joh. 1. v. 1. 4. Sicut absq; omni lumi-
nis alteratione, vel reali separatione splendor ex lumine quasi pro-
gignitur, & effulget: Sic Filius est ex Patre genitus sicut lumen de
lumine (verba Symboli Niceni recito) sine ulla divinæ Essentiæ
divisione. II. Ejusdem Naturæ Humanae, cujus ratione com-
paratur Luci 1. ob Puritatem: sicut lux est res per se pura: Ita
Christus ab omni peccati labe est defæcatus Heb. 4. 15. 2. ob For-
mositatem: Ut lux non solum puritate sed & pulchritudine gau-

B

det:

det: Ita Christus est pulcherrimus inter Filios hominum Psal. 45.
 v. 3. 3. ob *Amabilitatem*: oculi sani & vegeti mirificè luce dele-
 ctantur: Ast quid, quæso, Christianis amabilius esse potest,
 quàm Christus? Psal. 27. v. 1. *Quoniam lumine nihil dulcius & ju-
 cundius est* (verba sunt Nazianzeni orat. in S. Bapt.) dicitur Chri-
 stus lumen. 4. ob *Apparitionis celeritatem*: Ut lux subito se ab or-
 tu ad occasum usq; diffundit: Pari pacto Christus per Beatam
 suam Nativitatem & Incarnationem è cœlorum palatiis ad i-
 mam terræ sedem pertigit Mat. 1. v. 18. Luc. 1. v. 35. 5. ob *Pene-
 trationis subtilitatem*: quemadmodum Lux occulta viscera terræ
 penetrat, ac in iisdem metalla invisibiliter generat ac producit:
 Ita λόγος secreta uterī virginis Mariæ invisibiliter penetravit, &
 ibidem fragiles humani corporis artus mirabili planè ac singu-
 lari modò assumpsit. 6. propter *Odi gravitatem*: Sicut Lux lip-
 pientibus parum lætitiæ affert: Similiter Christus Mundo est
 exosus Joh. 3. v. 19. *Ratione officij* Christus cum Luce confertur
 ita: 1. Ut lux omnibus hominibus suum communicat splendorem:
 Ita Christus est *Salvator omnium*, qui cunctis beneficia sua offert
 1. Tim. 4. v. 10. Rom. 10. v. 12. 2. Ut lux obstantes tenebras pro-
 pulsat: Ita Christus *oculos nostros aperit & illuminat* Psal. 119. v. 18.
 3. Sicut Lux è Somno excitat: Ita Christus nos expergeficit, ne
 somno peccatorum indulgeamus Eph. 5. v. 14. 4. Ut lux tristitiam
 fugat, lætitiā verò affert: Ita Christus nos *exultare jubet* Mat. 5.
 v. 12. Rom. 12. v. 15. 5. Ut lux flammam accendit: Sic Christus
 in verbo suo nobiscum loquens, *corda flammā devotionis calefacit*
 Luc. 24. v. 32. 6. Sicut lux Occulta hostium molimina detegit:
 Simili modò Christus *fraudes nostri hostis Spiritualis exponit*
 1. Pet. 5. v. 8. 7. Ut lux dura emollit. Ita Christus duritiem cor-
 dis lapidei aufert Ezech. 11. v. 19. 8. Sicut Lux animantibus vi-
 tam dat & conservat: Ita in Christo vivimus, sumus & movemur Act.
 17. v. 28. *Ipsè est longitudo dierum nostrorum* Deut. 30. v. 20. Ha-
 tenus Lucis comparatio cū Christo pertractata fuit: Nunc, le-
 vi, quòd dicitur, brachio attingemus, quomodo similitudo Lu-
 cis ad Evangelicam quoq; doctrinam accommodetur. Exornatur hæc
 Luminis titulo 1. Joh. 2. 8. 1. Pet. 2. v. 9. 1. propter...

Mentiu

Mentium nostrarum illuminationem: Hæ ante conversionem ignorantia tenebris involutæ, in spiritualibus cæcæ sunt, & tum demum illuminantur, quando Christus voce Evangelii sui nobiscum loquitur. 2. propter *Efficacem consolationem*, quam Evangelium nobis impertit. Consolatio enim in Script. passim lucis nomine salutatur Psal. 36. v. 10. Prov. 13. v. 9.

Habitantibus] Quæ jam Propheta subiicit, explicatio sunt prioris phrasıs. *Habitandi* verbõ respicit 1. ad *Judeos*, in terra peregrina afflictos & morti quasi obnoxios 2. ad *Gentes* in tenebris Religionis plusquam Cimmeriis palpitantes. *Tremellius* verbum יָשַׁב per 70 *sedere* expressit, sensu eodem manente.

In Regione] Alii rectius vertunt: *In terra*, quia in Hebr. est: יֹשְׁבֵי בְּאֶרֶץ

Vmbra Mortis] id est *lethali & mortifera*. No men Hebr. צֶלְמוֹת compositum est ex nom. צֶל umbra & מוֹת Mors, & dicto modo explanari debet. Exempla vide sis Psal. 2. v. 9. שֵׁבֶט בְּרֹזֶל Virga ferri id est ferrea seu gladius Psal 8. v. 14. כְּלֵי מוֹת vasa mortis id est mortifera Gen. 41. v. 42. הַזָּהָב רֶבֶד annulus auri id est aureus. Similia occurrunt Esa. 28. v. 1. c. 26. v. 1. &c.

Notantur autem hoc nomine Prophetæ summæ calamitates, metaphorâ à sepulchris desumpta.

Lux orta est eis] scilicet non ex *consilio* vel *merito* ullius hominis, sed tantum ex *dono* Dei. Sicut enim solis exortus, quò tenebræ fugantur, merum Dei donum est: Ita & illi, qui in *Vmbra* mortifera sedent, exortum lumen gratiæ unicè Dei clementiæ referunt acceptum. *Xantes Pagninus & Arias Montanus* textum Hebraicum penitus introsipientes vertunt: splenduit super eos. *Tremellius* legit: super confidentes in umbra &c. Lux splendet, quanquam in Hebr. non sit *futurum* יִגֵּד, sed *Præteritum* נִגְדָה splenduit.

Multiplicasti] Per ἀποστοφῆν Propheta Deum alloquitur. Hebraicum הִרְבִּיתָ quidam vertunt: *Magnificasti*. Verbum enim רִבָּה Hebræis non saltem rei *multitudinem*, sed & *magnitudinem* ejusdem exprimit: quod videre est in voce רִבָּה à רִבָּה deducta,

B 2 quæ

V. 2

quæ majorem hoc est *Magistrum* notat, qui quasi majori & copiosiori doctrinæ suppellectile sit instructus.

Gentem] Per gentem quidam intelligunt *Judæos*, quidam verò *Ethnicos*, ut paulo post videbimus. *Præferimus* autem *posterio*rem opinionem priori, quia 1. vox *גוים* Hebræis plerumq; idem significat, quod Latinis Græcus aut Barbarus 2. quia *Propheta generalia Messia beneficia* describit, quorum fructus non saltem ad *Judæos*, sed etiam ad *Gentiles* spectant.

Non magnificasti Latitiam] Hæc verba cum proximè sequentibus: *Latabuntur coram te &c.* adversâ fronte pugnare videntur, quare autores varias h. l. afferunt conciliationes: I. *Calvinus* accipit verba *Prophetæ comparatè*, referens vocem præcedentem *גוים* ad *Judæos*, qui ante captivitatem *Babylonicam* vixerunt, hoc tantò gaudiò non affectos esse ait, quantò illi, qui tempore *Christi* victuri erant, afficiebantur. Hujus vestigiis insistit *Piscator* in comm. super h. l. Verum 1. *Propheta* tam *clare* loquitur, ut *σύνεσις* hic vix locum invenire queat, 2. Pleriq; rectius verba *Prophetæ de gentibus* interpretantur ob rationes modò expositas. II. *Nonnulli* hunc versum de *Sennacheribi exercitu* accipiunt, qui quidem multiplicatus sit, sed ab *Angelo* profligatus, tristis redierit. Verùm de *Rege Assyriorum* altum in textu est silentium. III. *Alij* inter quos est *Osiander*, nomine gentis in specie *Romanos* intelligunt, quorum multiplicatam potentiam, *Judæi* ab ipsis subacti, iniquissimò animo essent laturi, quæ expositio, licet per se *pia* sit, à textu tamen non nihil *aliena* esse videtur. IV. *Pleriq; Nostratum*, secuti *Lutherum* textum *Propheticum* potius de *gentibus*, quam *Judæis* exponunt, verba illa: *Non magnificasti latitiam &c.* ad *Judæorum invidiam* referentes, quâ ergâ gentes conversas, & beneficiorum *Christi* participes factas flagrabant. *Rom. 10. v. 19.* Huc enim respexit *Lutherus* in versione sua *Germanica*, quæ hujus est tenoris: *Du machst der Heyden viel/ damit machstu der Freude: nicht viel.* Hæc sententia per se *vera* est: Licet enim quidam *Judæi*, *Evangelicam* lucem amplexi, etiam *Spiritualis lætitiæ* compotes facti sint; *maxima* tamen eorum pars *gentibus* felicitatem invidit. V. Sunt qui vaticinii *Prophetici* complementum in tempora quidem *Messia* reiiciunt, sed ita, ut hic sit *sensus* *Prophetæ*: *Tu Immanuel per te & Apostolos multos*

multos ex gentibus & Judæis convertes, verum Tibi & Apostolis anfan-
 latandi non præbebu. Experteris enim una cum illis, majorem eorum
 partem in æternum interitum ruituram esse. Sed qui scopum Pro-
 phetæ altiore mente perpendit, huic expositioni non assurgere.
 Non enim intendit Propheta enarrare, quid Apostolus vel Christo
 acciderit, sed potius quid alius, per prædicationem Christi & A-
 postolorum contigerit, nisi quis velit dicere, secundario quoque
 Prophetam ad hos respicere. VI. Multi censent, particulam
 נֹכַח non exponendam esse negative, quasi gaudii multiplicatio-
 nem Propheta neget, sed relative, ita ut personas exultaturas de-
 scribat in hac sententiam: Multiplicasti gentem, Ipsi (vel genti, ut
 quidam, vel Christo, ut alii exponunt) magnificasti letitiam. Lectio
 hæc arripet ex Pontificis Cornelio à Lapide in comm. super h. l. ex
 nostratibus verò D. Pappo p. m. in comment. super Esaiam, D.
 Walthero in harmon script. p. 307. & aliis. Ac sanè textui maxi-
 mam lucem afferret, & omnes difficultatum tenebras propulsa-
 ret, si modò roborosis argumentis posset confirmari. Constat
 quidem literas וְנֹכַח inter se permutari; An verò ad hanc per-
 mutationem ubivis locorum sit recurrendum, aliquis adhuc ani-
 mi dubius esse potest. Interim non negamus hanc expositi-
 onem retineri posse, cum in aliquot locis נֹכַח pro וְנֹכַח positum
 esse nonnulli Grammatici observent. VII. Aliam autem ad-
 huc producimus sententiam non inconcinnam, quam fovet
 Dn. D. Försterus p. m. in comment. super h. l. Existimat hic
 adverbium נֹכַח negandi, pro adverbio interrogandi וְנֹכַח literam וְ ab-
 jectam, positum esse, ita ut talis propullulet sensus Prophetæ:
 Multiplicasti gentem; annon magnificasti letitiam? Hæc sententia
 sanè nequaquam est contemnenda. I. propter similem adverbii
 וְנֹכַח usurpationem; Præsto enim sunt exempla, in quibus וְ In-
 terrogativum omittitur: v. g. Esa. 33. v. 1. Va qui prædaru, nonne & i-
 pse prædaberis? (וְנֹכַח נֹכַח וְנֹכַח) Job. 13. v. 13. Etiam si occiderit me,
 in ipso sperabo) וְנֹכַח נֹכַח Tremellius ita legit: Si enecaret me, non
 sperarem? 2. propter Grammaticorum observationem. Adverbi-
 um Interrogandi וְנֹכַח וְ suum abijcere testantur Michlol fol.
 16. col. 2. Drusus de literis וְ p. 27. & c. 3. propter optimam totius
 contextus cohesionem; nam stante hac expositione omnis contra-

diffinitio Prophetæ exspirat, ac tantum abest, ut Prophetæ neget, Deum gaudia multiplicasse, ut ipse potius confidenter affirmet, Deum eadem magnificasse, siquidem interrogatio negativa apud Hebræos efficit *Affirmationem vehementem*, cujus rei passim exempla in sacris occurrunt.

Letabuntur] Scilicet gentes & Judæi per Christum convertendi; quanquam non desint, qui hinc subaudiunt quoque Christum & Apostolos conversuros Pro: *Letabuntur* rectius Pagninus & Tremellius vertunt: *Letati sunt*, quia in textu originali legimus præteritum: לְיָמֵינוּ

Coram te] In Heb. est לְפָנֶיךָ id est coram facie tua. Non describitur hic gaudium mundanum & externum: Sed spirituale & internum, quod fit in Domino Salutari nostro Luc. 1. v. 47. Piscator phrasin Propheticam exponit de cultu adorationis, quomodo pii in N. T. Deum sint persecuturi ita: *Letabuntur coram Te* id est *Letabuntur prostrati coram facie tua*.

Sicut qui letantur in Messe:] בְּקִצְרֵי מִשְׁמַחַת id est *juxta letitiam*, (quæ est) *in messe*. Describit Prophetæ exultationem spirituales ex prædicatione Evangelii conceptam, metaphorâ à messe ductam, cui aliàs prædicatio Evangelii comparatur Mat. 9. v. 37. quasi dicat: Magnam lætitiâ perfunduntur Agricola, quando benignos terræ fructus colligunt: At quantum majori gaudio afficiuntur pii, cum messem Evangelicam aspiciunt, cumque se ipsos quoque in illa congregatos vident, ne cum impiis, tanquam paleis, igne infernali comburantur.

Sicut exultant victores captam prædâ:] Ex Hebræo ad literam sic: *Secundum quod exultabunt, cum distribuunt illi* (subaudi milites) *prædam*. Ubi notandum 1. verba illa: *Victores captam prædâ* in textu Hebræo non legi 2. in eodem Futurum יִשְׂמְחוּ Exultabunt, positum pro præsentis, notare actum continuum, (ut Grammatici loquuntur) ita exponendum: Sicut exultare solent, cujus rei exempla occurrunt Psal. 3. v. 5. *Voce mea ad Jehovam clamabo* (אֶקְרָא) id est clamo vel clamare soleo Mal. 1. v. 6. *Filius honorabit* (יִכְבֵּד) Parentem id est honorare solet vel debet.

Quando dividunt spolia.] Ex textu authentico ita deberet legi: *In dividendo eos spolia*; Sed particula כִּי exponenda est per *cum* vel *Quando*. Notatur autem hic gaudium, quod pii percipiunt ex fructi-

fructibus Passionis & Resurrectionis Christi, qui in verbo & Sa-
cramentis ad hunc usq; diem, Deo sic gratiose disponente, di-
stribuantur. Sensus vatis hic est: Magnum est gaudium, cum
hoste devicto rapta spolia dividuntur; At major quod Christus
spiritualem hostem, Fortem illum armatum ex arrio pectoris
nostri eiecit, ac spiritualia spolia distribuit Luc. 11. v. 22. Col. 2, 15.

Spolia [Hebr. **שָׁבוּת** Spolium]

Jugum enim oneris &c. Calvinus, cujus orbitam quoque *Piscia* V 3
ter ex parte teritur, interpretatur hac de liberatione Judaeorum ex
captivitate Babylonica. Alii, quorum supra mentionem fecimus,
crumbem suam recoquunt, ac verba Prophetæ trahunt ad libe-
rationem Judaeorum à Rege Assyriaco. Verum major est dicti Pro-
phetici emphasis, quam ut de populo, vel è manu Sennacheri-
bi erepto, vel ex captivitate Babylonica in libertatem asserto, ex-
poni possit. Nos scopum Esaiæ & allegationem Matthæi c. 4.
v. 14. attendentes, versum hunc cum B. Luthero in Tom. 2. Jen.
Gem. p. 177. de hostibus spiritualibus, quorum jugo beneficiis
Christi nos subducti sumus, intelligimus. Et quamvis *Vigan-*
das in annot. Super Esaiam p. 80. triplicem hostiû picturam, quam
in verbis proximè sequentibus Prophetæ exhibet, ad unam ean-
demq; rem, nempe Legem referat, & sic verba posteriora, tan-
quam è *ἔξ ἡγῶν* priorum accipiat; melius tamen rem explicare
videntur, qui sub qualibet voce Prophetæ, Jugi, Virgæ & sceptri
hostem quendam in specie depingi avertunt. Per *Jugum* sunt,
qui Legem intelligunt jugum illud, cui non sumus portando Act.
14. v. 10. Alii pensulant, Prophetam in subsequentiibus de lege
sermonem spargere, ac proinde nomine *Jugi peccatorum* venire di-
cunt, quod anxiam conscientiam premit Psal. 38. v. 3. & *jugum*
oneris, seu ut alii vertunt, onerosum ab Esaiâ vocatur.

Virgam humeri ejus. Explicamus hanc periphrasim de penis,
non solum temporalibus, sed & æternis: Hæ enim sunt virgæ, quæ
nostris humeris ob peccata imponuntur Psal. 88. v. 33. Vnde &
virga humeri (Heb. **מַדְבַּחַת הַיָּדָיִם**) h. l. dicitur. Quidam virgam
ad Peccatum applicat, verum cum homo respectu hujus se magis
activè; virgæ autem passivè habeat, malumus eam de poenis expo-
nere, quas peccatores justò Dei iudiciò perpetuuntur.

Sceptrum

Sceptrum Exactoris ejus.] A pœnis jam ad Legem digreditur, quam voce **וַיִּבֶן** seu Angustatoris exprimi dicimus, quippè qui nos baculo comminationum urget, & perfectam impletionem exigit, minime tamen refragaturi, si quis hic simul Tyrannidem **Diaboli** adumbrari dixerit.

Superasti.) In Hebr. est Præteritum in Hiphil **שִׁבַּרְתָּ**, quod Pagninus & Tremellius rectè expriment per verbum *confringere*, Radix enim est **שָׁבַר** frangi & conteri. Alloquitur autem Prophetæ Christum, qui omnes nostros hostes conculcavit & contrivit. 1. *Fugam Peccati suâ Justitiâ* Rom. 4. v. 25. Col. 2. v. 14. 2. *Virgam humeri h. e. pœnas*, quas inter *Mors*, primas tenet, *Morte sua sanctissima* Hebr. 2. v. 9. 3. *Baculum Exactoris* seu legem maledicentem suâ satisfactione & obedientiâ, non saltem passivâ Gal. 3. v. 13. sed etiam activâ Rom. 5. v. 19.

Sicut in die Midian] In Hebræo ita legimus: **כִּיּוֹם מִדְיָן** Pagninus rectè: *Secundum diem Midian*. Tremellius: *Vt die Midianitarum*. Alii sic legunt: *Sicut in die Midian factum est*, ad supplendum integrum Propheticae orationis contextum. Dies enim *metonymicè* victoriam notat, eodem die ab hostibus creptam. Particula Inseparabilis **וְ** nota similitudinis, indicat comparationem victoriæ Christi cum Gideonis victoria intercedere. Et sanè docent veteres, ut Origenes hom. 8. & 9. in lib. Jud. August. serm. 108. de Tempore Theodoret. q. 14. & 15. in lib. Jud. præclarum *Christi typum* in Gidone Victore præluxisse, qui quidem ita deduci & pertractari potest, ut conferantur inter se. I. Christo & Gideon II. Hostes nostri spirituales & Midianitæ opprimentes III. totum genus humanum & Israelitæ oppressi IV. Milites Gideonis & Christi. I. *Christus Gideoni comparatur* 1. propter *Nominis Significationem* **יִבְרָא** Significat excidentem, à rad. **בָּרָא** abscidit, excidit. Vnde quemadmodum de Gidone commemoratur, quod *iniquitatem Baal succiderit*, & verum altare Deo extruxerit Jud. 6, 11. Ita ex historia Evangelica constat, Christum synagogam Judæorum, varijs traditionum cadaveribus ad impletam repurgasse, ac verum Dei cultum instaurasse. 2. propter *frumentorum purgationem*. Sicut Gideon frumenta in torculari purgabat cap. 6. v. 11. Ita Christo agrum Ecclesie suæ in torculari afflictionum ab iniquitatum zizaniis purgat, quò spectat dictum Ignatii ita loquentis:

Fru-

Fruentum Domini suris & Bestiarum dentibus molor, ut purus panis Dei inventar. 3. ob sacrificii oblationem: sicut Gideon sacrificium Deo offerebat Jud. 6. v. 19. Ita Christus obtulit se in cruce Patri suo, cuius iram placare debebat. 4. ob Velleris expansionem: Vellus à Gideone in area expansum, rorem excipiebat, qui postea vellere exsiccatò in totam aream migrabat: Ros, ut exponit August. est fides & Verbum Dei. Ille enim primò quidem populum Judaicum, per vellus præfiguratum, tantùm irrigavit, postea verò totam aream Ecclesiæ, ex gentibus & Judæis collectæ, occupavit. II. Exactores nostri conveniunt cum Midianitis quoad odii gravitatem & crudelitatem: Ut enim Midianitæ ardentissimò odiò ergà Gideonem & Israelitas flagrabant: Ita infernales Midianitæ, Dæmones, Christo & nobis sunt infensissimi, quippè cum quibus Christus certavit Col. 2. v. 15. III. Totum genus humanum Israelitarum cœtui confertur ratione pressuræ: Quemadmodum enim illi à Midianitis ita affligebantur, ut in speluncas & antra montium sese recipere cogerentur Jud. 6. v. 2. Ita à spiritualibus hostibus ad profundissimas æternæ desperationis latebras rediguntur, quotquot à cœlesti Gideone in libertatem non asseruntur. IV. Milites tandem Gideonis cum Christi discipulis conveniunt: quemadmodum enim illi 1. erant pauci 2. ex tribus Ascher, Naphtali & Zabulon convocati, 3. hostes tubarum clangore fugabāt, 4. nō erant formidulosi vel timidi 5. bibebant more canū 6. tenebant lampades ardentes in vasis testaceis. Ita 1. Christus in destructione Regni Diabolici torcular træ divinæ solus calcavit Esa. 63. v. 3. in collectione verò Ecclesiæ paucorum hominum operā usus, quibus innumerabiles exercitus infernalis copias profligavit 2. Apostoli ejus ex tribubus Israeliticis sunt collecti. 3. lidem tuba Evangelicæ doctrinæ Diabolorum agmina fugarunt, quam adhuc hodiè omnes fideles verbi Divini Præcones inflant. 4. timidi & ignavi discipuli Christum non sequuntur, qui crucem ejus portare recusant. 5. nec ij, qui ob peccati sitim terrestribus voluptatibus indulgent, sed qui ad terrena carnis desideria flecti nescii, quoad sagacitatem canibus similes sunt, ac audactè illud Davidis pronunciant Psal, 27. v. 2. Si metarentur contrà me castra, non timeret animus meus &c. 6. Et ij, qui thesaurum luminis Evangelici in vasis fictilibus gestant, quibus per martyrium fra-

C

um fra-

um fractis, persecutores suos vincunt 2. Cor. 4. v. 7. quiq; luce Bonorum operum fulgent Matt. 5. 16.

vers. 4.

Quia omnis violenta prædatio cum tumultu] &c. Ex textu autentico ita est legendum cum Tremellio: *quia omnis conflictatio confligentis cum concussu &c. erit in combustionem.* Respicit autem Propheta ad ea, quæ in versu præcedenti de Victoria Christi dixerat, ac pacem spiritualem, in Christi Regno futuram describit, metaphorâ petitâ, vel à quocunq; vehementiori prælio, quò peractò Victores tumultuare cessant vel quod textui convenientius est. à clade, quam Midianitæ à Gideone erant perpeffi. Quare nos aliarum interpretationum enumeratione supersedentes, genuinum Prophetæ sensum hunc esse dicimus: Sicut in bello Gideonis, (vel etiam in quocunq; alio prælio) cum concussu & tumultu factò, vestimenta Midianitarum sanguine tincta, partim propriò, cum ipsi fugientes cœderentur; partim Israelitarum, quos ante mactaverant, combusta sunt: Ita Infernalium Midianitarum phalanges, cruentatæ quasi sanguine (dicuntur hæc de dæmonibus tanquam hostibus per allegoriam) tum hominum, quos in exitium præcipitaverant; tum propriò cum à Christo profligarentur, ignibus gehennæ deputatæ sunt, in quibus perpetuis flammis ustulabuntur. Nam quod hæc Prophetæ sententia sit, dispalescit. ex totius contextus cohesione, in quo de Beneficiis Christi, & palma à Diabolo reportata agitur, ut in præcedentibus vidimus 2. ex particula ratiocinativæ וְ consideratione, verbis illis: כִּיּוֹם מָרָן immediatè subnexæ.

Vestimentum] Nomē Heb. שְׂמֵרָה alii de Vestimento in genere; Alii, ut Piscator, in specie de pallio exponūt, sensu planè eodē manēte.

Mistum sanguine] Ita quidem legit Vetus Interpres; sed quoniam in textu Heb. occurrit participium fœm. in Pual מְגֹלְלָה à radic. גָּלַל volvit seu volutavit, idèd rectius ita legitur: Vestimentum volutatum in sanguine, seu ut in Hebr. In sanguinibus.

Erit in combustionem] sic legūt pleriq; Interpretes; Verùm rectius ita vertitur: Et fuit in combustionem, quia Fut. II. וְ תָהִי con- versivum habet præfixum, cujus munus est significationem Futuri in significationem Præteriti convertere.

Cibus ignis] Notatur vestimentorum, quæ sanguine cæforum tincta, cōbustio & omnimoda abolitio.

PARVI-

Parvulus enim natus] Hactenus Prophetæ duas rationes exposuit, ob quas Populus Judaicus exultare deberet, quarum primam ab hostium demolitione; alteram à vestimentorum combustione deprompsit, jam ad tertiam se accingit, quam ducit ab Incarnatione & Nativitate Messiae, dum suavissimum melos de parvulo recens nato canit, non secus, ac si ad cunas ejus assideret, & non tam Prophetam, qui futura vaticinatur; quàm Evangelistam, qui facta describit, ageret. Voce \aleph quâ utitur, ad veram Humanitatem Christi respicit, quam in plenitudine temporis assumpsit Gal. 4. v. 4. quæq; in N. T. plurimis in locis astruitur, præsertim in egregio illo dicto Heb. 2. 14. Posteaquam pueri commercium habuerunt cum carne & sanguine, & Ipse similiter participes factus est eorundem: Ubi tamen absit, ut cogitemus, ipsum instar aliorum infantum peccati originalis labe pollutum fuisse; hujus n. sententiæ contrarium patet, non solum ex alio loco, in quibus sine peccato conceptus & natus esse dicitur, sed etiam ex nostro Prophetico contextu. Si enim peccato coinquinatus fuisset, quomodo scriptum Exactoris & jugum oueris &c. nobis ob peccatum impositum, confringere potuisset? v. 3.

Natus] Non est Prophetæ sermo de Nativitate Christi æterna, quâ ante secula ex substantia Patris genitus est; Neq; de spiritali, cujus ratione per incorruptibile semen Verbi divini in nostris cordibus quasi concipitur & formatur Gal. 4. v. 19. sed de Temporalis, quam Matthæus cap. 1. describit.

Nobis] id est nostro Bono & commodo, seu ut cum Symbolo Niceno loquar, propter nos homines nostramq; salutem.

Filius] Non nudum aliquem hominis gnatum; sed æternum Dei Filium hâc intelligit, quem dicit natum secundum Humanam; Datum secundum Div. Naturam. Ipse n. est Unigenitus Dei Patris Filius Joh. 1. v. 18. Patri ὁμοούσιος c. 10. v. 30. Imago invisibilis Dei & primogenitus omnium creaturarum Col. 1. v. 15. splendor gloria & expressa imago substantiæ Patris Heb. 1. v. 30. qui erat in principio Joh. 1. 1. antequam Abraham esset Joh. 8. v. 18. per quem omnia sunt creata Eph. 1. 3. Col. 1. 16. qui est primus & Novissimus Ap. 1. 18. dignus qui sumat gloriam c. 4. v. 11. Notandum itaq; 1. Prophetam tacite duarum in Christo Naturarum Unionem attingere 2. ipsum iterum stilum & morem Prophet. imitari, ac in descriptione rerum futur. verbis Præterit. \aleph & אֵל uti, propter summam rerum, quas prædicit, certitudinem.

Datus est nobis] Non intuitu nostrorum operum; sed ex sola Dei gratia Luc. 1. 78. Joh. 3. 16.

Et factus est principatus super humerū ejus] Nonnulli hæc verba Prophetæ, jam per *μεταβασι* ad officium Christi accessum facientis, de cruce ejus exponunt, quam humeris suis impositam bajulavit, quæ sententia Luthero nostro non displicet Tom. 3. Jenens. Germ. fol. 150. Alii existimant *phrasin hanc* Prophetæ *opponi superiori* periodo, quâ virgæ humeri & jugi oneris mentio fiebat, quasi dicat Prophetæ: Aliorum humeris imponitur virga; in nostri parvuli humero verò principatus seu libertas posita est. Utitur enim eadem voce *דכש* quâ suprâ. Alii Esaiam de *Majestate divina*, Christo secundum Hum. N. communicata loqui ajunt juxtâ interpretationem, Mat. 28. v. 18. Nos nullam harum sententiarum simpliciter rejicimus, sed dicimus describi hîc *πρωτως* officium Christi Regium, adeoq; respici i. ad *Dominium ipsum*, quod Christus exercet: nam scripturæ in more positum est, potestatem alicui concessam, per Principatum, humeris Domini impositum describere, ut videre est Esa. 22. 22. *Ponam clavem Davidis super humerum ejus (Eliakimi) & aperiet &c.* Quemadmodum hodiè Electores in sacrat. Imperio, peculiari ornatu & vestimento, humeros induti, ab aliis Imperii proceribus distinguuntur: Ita verisimile est ab ejusmodi ceremonia, in electione Regum V. T. usitata, Propheticum loquendi modum esse desumptum. Quamvis enim Christus politicum aliquod Regnum non instaurarit Joh. 18. v. 36. hanc tamen formulam Prophetæ, in descriptione Messiaë occupatus, ex classe rerum politicarum petiit, quod non solum Ipsi, sed & reliquis omnibus est familiare. Cæterum administrat Christus Regnum i. *Potentia in mundo*, omnia verbo virtutis suæ *portando* Heb. 1. v. 3. 2. *Gratia in Ecclesia*, cives regni verbo suo *pascendo*, & defendendo. 3. *Gloria in celo*: *Majestatem suam electis manifestando* 4. *Ira in inferno*, justas pœnas impiis *irrogando*. II. *ad Domini onus*: Non simpliciter ait Prophetæ Principatum ei delatum esse; sed cum adjecto principatum ejus super humerum positum esse dicit, innuens, imperium ejus onerosum esse, quippe qui multa pro nobis nostrâq; salute est perpeffus Esa. 53. 4. Heb. 9. 21. III. *ad crucem ejus in specie*, per hanc enim plenarium Domini sui usum est nactus Luc. 24. v. 26. IV. *ad Humanam ejus Natur.* secundum quam Majestas ipsi verè ac realiter est communicata,

Et vocabitur nomen Ejus:] Jam in latissimum narrationis campum Propheta exspatiatur, conglomerando Parvuli nomina, quae Bernbardus serm. 10. angusta quidem, sed verè angusta verborum peripheriâ ita complectitur: Admirabilis (Christus) est in Nativitate; consiliarius in predicatione; Deus est in operatione; Fortis in Passione; Pater futurus saeculi in Resurrectione, Princeps Pacis in perpetua beatitudine. vers. 6.

Admirabilis] נִרְאֶה Insignitur hoc titulo 1. propter Nomen ejus, quod Mirabile esse dicitur Jud. 13. v. 18. 2. propter mirabilem conceptionem & Nativitatem ex Maria Virgine, de qua Cyprianus ita loquitur: Non miror miracula mundi; Miror Deum in utero Virginis; omnipotentem in exnabulis &c. 3. propter admirandam duarum Naturarum in Christo unionem, quae omnem humanæ rationis captum excedit 1. Timoth. 3. 16. & 1. Pet. 1. 12. 4. propter Mirabilem Redemptionem totius generis humani. 5. ob stupenda miracula ab ipso edita, quorum prolixum catalogum Evangelistæ exhibent. 6. ob admirandam sapientiam, quâ adhuc Puer cum Doctoribus disputabat, Luc. 2. 46. quâq; in officio suo, sapienter docebat Luc. 4. v. 17. & adversarios liberè reprehendebat Joh. 7. 25. 7. propter mirabilem Ecclesiæ gubernationem & conservationem, quam non armorum vi, sed predicatione verbi colligit, per sacramenta in fœdus gratiæ recipit, ac sub cruce potentèr conservat.

Consiliarius] יִשְׁעִי Ita vocatur I. respectu Dei Patris, apud quem ab æterno fuit Prov. 8. v. 22. II. respectu nostri, quia 1. ab æterno consilium Redemptionis nostræ invenit, Eph. 1. v. 9. ac c. 3. v. 10. 2. in tempore consilium Dei id est Evangelium perfecit Act. 10. v. 27. 3. S. Cænam & Baptismum, qui consilium Dei dicitur Luc. 7. v. 30. instituit. 4. Ipse est Fons omnis sapientiæ, quem in rebus adversis unicè consulere debemus.

Deus Fortis] אֱלֹהֵי הַכֹּחַ Ita appellatur Christus quia 1. tot labores exantlavit, ac tam crudelem mortem constantissimè pertulit. 2. Morte & Resurrectione sua egregium potentia specimen edidit, ac principatus exspoliavit Col. 2. 15. 3. eandem hodie erga hostes Ecclesiæ exerit. 4. Sine ejus auxilio vana est omnis creaturæ fortitudo. 5. emittit potentem vocem, quâ ceu celestis Simson, aliquot millia hostium prosternere valet Joh. 18. v. 6. 6. Ipsi sunt potentes manus, sub

mus, sub quibus nos humiliare oportet I. Pet. 5. 6. 7. Utitur potenti-
bus armis adversus obstinatos peccatores Ps 7. v. 13.

Pater Aternitatis] אֵלֵינוּ Vocatur I. Pater propter *paterna*
beneficia, indulgentiam & סֶגוּלָתוֹ plus quam paternam, quã nos cõ-
plectitur. Refert nomina nostra in album vitæ per baptismum, gene-
rat nos per Verbum; informat nos per Ministros confortat & pascit
nos in S. Coena: ornat nos preciosã veste Justitiæ Christi; defendit
nos contrã hostes, ac tandem nos *evehit* in cælum. I I. Aternus ap-
pellatur, quia verus Deus est, cui omnimoda Aternitas convenit.

Princeps Pacis:] שֵׁשׁ־שָׁלוֹם Quemadmodum præcedentia no-
mina non fuerunt tituli sine re: Ita ne hoc elogium sine singulari
causa & emphasi Christo convenit. Denunciavit pacem per *Angelos*
cùm nasceretur Luc. 2. 14. per *Apostolos*, cùm eos ablegaret Luc. 10.
v. 6. per se ipsum post Resurrectionem, cùm se Discipulis manifesta-
ret Joh. 20. v. 19. Affert nobis pacem in *nativitate* & *vite ingressu* per
Baptismum; in *vite progressu* per gratiosam inhabitationem Spir. S.
In *eiusdem egressu* per beatam valedictionis horam. Ipse dat pacem
externam, ut hostibus Ecclesiæ frementibus, ejus Verbum audire
queamus; Ipse dat *Pacem Internam*, ut animo simus tranquillo:
Ipse dat *Pacem aeternam*, ut in veræ vitæ gaudia intrare possimus.
Componit pacem *suprà nos* cum Deo, *intrà nos* cum conscientia;
juxrà nos cum proximo; *Infra nos* cum infernali exercitu. Ipse præ-
terea *medium parietem*, qui inter Judæos & gentes intercedebat, diru-
it Eph 7. 14. & tandem nos omni cælestium bonorum genere ditat,
quandoquidem Hebræi nomine Pacis omnem prosperitatem no-
tare solent Gen. 43. v. 27.

Multiplicabitur Imperium ejus] Xantes Pagninus eumq; secutus A-
rias Montanus legunt: *Ad multiplicandum Imperium ejus* &c. respicien-
tes ad Hebr. לְמַרְבֵּהָ quod Participium in Hiphil cum præfixo ל ef-
se existimant; Verùm Tremellius & alii ita legunt: *Multiplicationi seu*
Amplitudini Imperii ejus non est finis quia I. מַרְבֵּהָ est nomen auctum,
significans multitudinem, à R. רַבָּה derivatum juxta Buxtorf. in
Lex. p. 708. 2. litera ל non secus ac in sequenti voce לְשָׁלוֹם est in-
dicina Dativi 3. hæc lectio cum mutatione punctorum congruit.
Segol

Segol enim ultimæ Syllabæ (ut h. l. sub syllab. **סג**) in regimine
mutatur in Tere, quod in textu fieri videmus. 4. cum sequenti Pe-
riodo optimè cohæret ita: *Multitudini Imperii ejus & Paci non erit fi-
nis &c.* In voce **סג** præter normam Grammaticorum **ס** clau-
sum conspicitur, quod aliàs regulariter in medio vocis est apertum.
Undi multi præsertim Galat. l. 4. de arcan. c. 19. Hieron. de sancta
fide contra Jud. p. 28. &c. aliquid mysterii hîc subesse rati sunt. Qui-
dam putant **סג** quadratum notare *incorruptam B. Virginis Mariæ Virgini-
tatem*, Alii opinantur, significari hîc, quod per *quatuor mundi plagas*
Imperium Christi sit multiplicandum. *Buxtorfius* l. cit. notat vo-
cem **סג** juxta notam Masoretarum cum **ס** aperto legendam
esse. Nos hîc nihil certi determinamus, sed piis mentibus cogitan-
dum relinquimus cui enumeratarû sententiarû subscribere velint.

Imperium ejus] cave ne intelligas hîc *Regnum* aliquod *exter-
num*, quod Christus in arce Davidis administraturus sit; quin potius
accipe hæc de *spirituali* Christi Regno, quod Hierosolymis, ubi Da-
vid sedem suam fixerat, per prædicationem Evangelii inchoatum
& multiplicatum est.

Pacis ejus non erit finis] Scilicet *spiritualis*, de qua supra dictum
Super solium David & super Regnum ejus sedebit:] sedit super soli-
um David non *prætoriam* aliquam potestatem sibi arrogando, & judici-
um civile exercendo, sed in eodem *patiendo*, *moriendo*, ac verbi sui
præcones in omnes terrarum angulos *emittendo*, ut cives regni sui
colligeret, & sic ejus multiplicatione procurarent confer Luc. 1. 32.

Sedebit] Hoc verbum Vulgata textui interserit; sed in fontibus
non invenitur.

Ut confirmet illud & corroboret] Heb. Ad confirmandum & ful-
ciendum illud.

In Judicio:] quod exercebit erga impios puniendos.

In Justitia:] quam observabit erga pios defendendos, ac be-
neficiis cumulandos.

A modo usq; in sempiternum] Verba Hebr. **עַד עוֹלָם** ad li-
teram sic habent: *Ex Tunc usq; in seculum.*

Zelus Domini exercituum faciet hoc:] Addit hunc paragraphum Pro-
pheta tanquam Epiphonema omnium eorum, quæ hactenus dixit,
cum quo primam capitis partem concludit. Per Zelum Domini in-
telligere licet: *tum* ardentissimum ejus *Amorem & Benevolentiam; tum*
Ipsiæ Iram & indignationem adversus hostes. **QVÆ**

QVÆSTIONES.

Ex vers. 6.

I. *Queritur: An Prophetæ v. 6. de Messia loquatur?*

Resp. Rabbi Schelomo, ejusq; affectæ Judæi recentiores clarissimi a verba Prophetæ non de Messia interpretantur; sed ad Regem Ezechiam detorquent. Verùm huic perversioni textus obstat. I. *Temporis periodus.* Prophetæ non agit de re presenti, sed vaticinatur de re nova & futura. Jam autem Ezechias tum non erat nasciturus; sed jam diu natus. II. *Nomen Filius,* quò Unigenitus Dei Filius, ut suprâ dictum, notatur. Excipiunt quidem hoc nomen καὶ ἐπεξήγησιν quasi prioribus Prophetæ verbis subnexum esse, propter designationem sexus, quod scilicet ille Puer nasciturus non sit fœmina, sed masculus. Verùm quis non videt hæc contorta & coacta esse? Nam i. nullam possunt proferre causam, ob quam hujuscemodi ἐξήγησις & Restrictio in descriptione hujus pueri, & non in aliis quoq; locis, ubi Nativitates enarrantur, occurrat. 2. *Sexus* hõc locò expressè continetur non solum in voce מֶלֶךְ & præterito Mascul. Pual מֶלֶךְ sed etiam in sequentibus elogiis ac titulis, qui nulli fœmellæ, sed masculino conveniunt. III. *Titulorum cumulus.* Ejusmodi profectò hîc conglomerantur nomina, quæ nullò modò de Ezechia, vel de alia quacunq; creatura exponi possunt. Quis enim sine impietate dicere posset, Ezechiam esse Deum fortem, Patrem aternitatis, &c. IV. *Allegationis Pondus.* Evangelista Matthæus primum versiculum hujus capituli disertis verbis ad Christum accommodat, simul subinnuens, ea, quæ hîc in sequentibus de Parvulo, recens nato dicuntur, ad solum Messiam referri debere. V. *Venerandus veterum oborus,* inter quos non solum Pii Patres, sed etiam nonnulli Judæi sunt teste Galat. 1.3. c. 19. Hujus loci est observatio illa, quod Chaldaus Paraphrastes manifestè huic textui inserit: *Vir permanens in aeternum,* quod de nullo homine accipi potest. Cæterùm quod Judæi verba Prophetæ: Et hoc est nomen ejus, quò vocabitur Admirabilis &c. ita exponunt: Et hoc est nomen ejus, quò vocabit eum (Deus Pater, qui est) Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Principem Pacis &c. id planè scopo Prophetæ dicam scribit, quippè qui non intendit Deum Patrem describere, sed de futuro Messia vaticinari.

II. *Quid per Pronomen Nobis (וְהִ) intelligatur?*

R. Pi-

Resp. *Piscator in Schol. super h. l. per illud intelligit populum Dei, multitudinem credentium, dum jubet hoc dictum Propheticum, conferre cum cap. 2. Luc. v. 10. & 11. Quæ quidem sententia, exclusivè accepta, ita ut neget, in incredulorum quoq; gratiam, Christum natum & datum esse, nullum applausum meretur. Et fanè quí aliter accipi posset, cum constet, Piscatorem lacte Calvinianorum esse enutritum? Nos dicimus Prophetam particula hac, bis emphaticè repetitâ, non solum pios aut Judæos in Bethlehæm; Sed etiam omnes in universum homines complecti, id quod Piscatori opponimus & probatum damus I. in genere ex clarissimis dictis, quæ testantur, Meritum Christi Universale esse Rom. 5. v. 8. 2. Cor. 5. 14. Joh. 3. 9. c. 4. 42. Mat. 9. 14. Luc. 19. 10. I. Joh. 2. 2. & c. II. in specie, ex Prophetia Esaiæ, & quidem I. ex Universalitate illorum, in quorum gratiam Esaias librum suum congesit. Quamvis enim in sola Judæa vixit, non tamen tantum in Judæorum, sed & gentium gratiam Prophetias suas colligi curavit, id quod extra omnem dubitationis aleam positum est. 2. ex hoc ipso presenti nono capite Esaiæ. Audivimus in antecedentibus, per populū, in tenebris ambulante, nō solū Judæos, sed etiā omnes nondū renatos intelligendos esse. Hinc ita argumentor: Quicumque in tenebris ambulaverunt, illis Christus est natus, illis Filius est datus. At omnes omninò mortales in tenebris ambularunt. E. omnibus omninò hominibus Christus est natus, Filius est datus. 3. Ex dicto cap. 53. Esa. v. 6. Eramus omnes, quasi oves errantes. Vbi Propheta se ipsum explicat, ac nobis tale argumentum suggerit: Quicumque errarunt, illis Christus est natus. Atqui omnes filij Adam errarunt. E. & c. Quod verò concernit locum, quem Piscator commendat, ad illum Resp. quod nostræ potius sententiæ faveat, quia Angelus generaliter loquitur: *Annuncio vobis gaudium, quod erit πάλιν τῷ λαῷ omni populo.**

III. An ex hiscè Prophetæ verbis: *וְיִקְרָא שְׁמוֹ* Et vocabitur nomen ejus & c. possit probari, fontes Veritatis alicubi non esse puros, sed turbulentos? Ex v. cod.

Resp. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 2. p. 28. § Quæ sententia probaturus, editionem Hebraicam esse corruptam, hunc lo-

D

cum

cum Propheticum citat, sed spiritu vertiginis correptus nescit, quid proferre debeat. Modò enim Calvinum accusat, quasi hic in lib. 6. Instit. § 11. dicat, fontem Hebræum turbidum fluere, modò statum controversiæ mutat, modò textui authentico maculam impuritatis aspergere conatur. Ratio ejus hæc est, quia in Hebræo non fit יקרָא vocabitur, ut vulgò legunt, sed יקרָא. Vocabitur. Verum! 1. innititur lubrico falsæ hypotheseos fulcro, vulgatam nimirum versionem esse authenticam. 2. Sui non est probè memor. Alibi enim statuit, puncta esse à Rabinis addita, Jam verò remotis punctis & יקרָא & יקרָא legi potest. 3. ignorat modum loquendi lingua sanctæ familiarem, siquidem apud Hebræos verba Activa sæpius impersonaliter usurpantur, ut Gen. 15. v. 6. וַיַּחְשְׁבָהּ לוֹ צְדָקָה & imputavit (Deus) ei ad justitiam, quod à Paulo Rom. 4. v. 3. passivè exponitur: Et imputatum est ei ad justitiam. Gen. 16. v. 14. עַל־כֵּן קָרָא לְבְאֵר וּבְאֵר וּבְאֵר Propterea vocavit puteum hoc est vocatur puteus. Job. 7. v. 3. וַיִּלְלוּ עִמָּל מְנוּלֵי נֹחַת Noctes laboris constituerunt mihi id est ut Tremellius rectè vertit: Etiã noctes molestiæ constitutæ sunt mihi. Hanc indolem loquendi LXX. Interpr. Chaldæus, & alii secuti legunt: Et hoc est nomen ejus quo Vocabitur &c. Non enim quicquam sinistri de textu suspicati sunt, sed ad sensum magis, quam ad verba vatis respexerunt. 4. Præterea apud Hebræos non rarò verba activa tertiæ personæ singular. numeri sine certo nominativo ponuntur, ita tamen ut hic subintelligatur, qui modus loquendi לִשְׁן קָצָר id est locutio truncata ab ipsis appellatur. Exempla occurrunt Gen. 48. 1. וַיֹּאמֶר לְיוֹסֵף Et dixit (subaudi quis) ad Josephum vers. 2. וַיֹּאמֶר הִנֵּה בְנִי עֵינֵי עֵינֵי הַיָּמִים Et dixit (subintellige cum Tremellio, Quispiã) Ecce Filius tuus. Mich. 2. v. 4. בְּיוֹם הַהוּא יִשָּׂא עֲלֵיהֶם מִשָּׁל In die illa tollet (quis) parabolam &c. Hæc consuetudine dicendi nonnulli (ut Tremellius) moti, sic legunt: Puer natus est nobis &c. cujus nomen vocat (Jehova) admirabilem &c. 5. Calvinus, quem Bellarm accusat purgatur à Polano l. 1. Syntagm. Theol. c. 27 p. 78. C. & quidem non immeritò; Scopus enim ejus non est authenticus textui maculam corruptionis affricare, sed vanitatem Judaicæ

daicæ exceptionis, de qua in quæ st. i. egimus, diluere. 6. *Cornelius à Lapide*, qui aliàs in encomio scripturæ, comment. in Pentateuchum præmissio m. 28. p. 11. prim edit. *Bellarminum* maximis laudum encomiis evehit, in comment. super h. v. c. 9. *Esaia*, argumentum, quod *Bellarminus* ex eo textit, planè sicco pede transit, nec ullam corruptionem hinc subesse opinatur, bonitate causæ, quam *Bellarminus* defendit, non fretus.

IV. An *Christus* h. l. *Angelus Magni consilii* appelletur?

Resp. Nonnulli hunc titulum ex verbis *Prophetæ* deducunt, respicientes fortè ad versionè *LXX*. *Interp.* qui ita legunt. ἄγγελος ἐλάλης Verum in *Hebr.* hæc appellatio non occurrit, quippè in quo saltem participium *אֱלֹהִים* habetur, quod consiliarium notat à rad. *אֱלֵ*. Rem ipsam alioqui non negamus.

V. An *Versio Lutheri*, quâ verba *Heb.* אֱלֹהִים לְנֶפֶשׁ sic exprimit: *Krafft/Heldt*/tolerari possit?

Resp. negant hoc *Pontificii & Calviniani*, qui hac in parte mutam sibi operam præstant, vulpeculis *Simsonis* non absimiles. Licet enim quoad religionis capita in diversas abeant sententias; caudis tamen calumniæ colligati, omnem *Lutheri* existimationem comburere satagunt. Ex *Pontificiorum* castris prodit *Cornelius à Lapide*, qui in comment. super *Esaia* factum *Possenis* approbat, qui in lib. de *Atheismis hæreticorum* cap. 2. & 3. inter *Arrianismos Lutheri* & hunc posuit, quod h. l. parvulo nato *Immanueli* Nomen *Deus* sustulerit. *Rationes* quas urget hæ sunt 1. *Multi Interpretes, Chaldaeus, R. Haccados, S. Hieron. & alij ex textu Hebr. legunt: Deus fortis* Resp. 1. Nota *Arrianismi Lutheri* inuri non potest, sinceram namq; doctrinam de *Trinitate* ubiq; profitetur. 2. Nos ejus *Versionem* pro authentica non agnoscimus; interim tamè pro ejus veritate contra adversarios stamus, quando ab analogia fidei non deflectit. 3. Ipse prolixè exponit, quare nomen אֱלֹהִים per Germanicum *Krafft* expresserit *Tom. 13. Jen. Germ. f. 184.* quod *Cornelius* perpendere debuisset. Summa rationum hæc est quia (1.) hic nō ponuntur nomina *Personæ*, sed officij (2.) nontam ex una voce, quam ex toto capituli contextu argumentum pro *astruenda Messia Divinitate* derivari debet;

D 2

(3.) præsto

מִיָּמִן סֵלֶעִי וּמִצִּוְתֵי וּמִפְּלִטֵי אֱלֹהֵי צוּרֵי

Occurrit hinc accentus *Munach* sub eadem voce אֱלֹהֵי quae a-
men omnino à sequenti distingui debet, quod vel ex solo affixo
truncato dispalescit. Nam si vocula אֱלֹהֵי cum seq. אֱלֹהֵי con-
geretur, talis emergeret sensus Propheta: *Mein-Gott. Mein
stärker Fels* / qui non nisi inconcinne exprimi posset. *Arias
Montanus* legit: *Deus meus, Petra mea: Tremellius & Piscator: Deus
fortis meus, Rupes mea. Lutherus: Mein Gott/ Mein Gott etc.*

VI. Num Christus ideò tantum *Pater aeternitatis* appelletur,
quia sit dux vitae, & Pater futuri seculi, non autem quia ab aeterno
apud Patrem fuerit?

R. Prioris glossematis tenebras *Photiniani* in *cateth. p. 128.* clarissimo
huic oraculo offundunt, argumentum, quod nostrates pro astruendi
Christi Deitate ex h. l. petunt, obnubilaturi. Verum fallunt & fallun-
tur. Licet enim Verus sit, ipsum esse vitae Ducem & patrem futuri
seculi, tamen hoc saltem dicere insufficiens est, cum etiam ideò
aeternitatis Pater appelletur, quia ab aeterno apud Patrem fuit Joh. i.
v. 1. Hinc credentes in eum vitam habere dicuntur, non saltem
quatenus ipse est fons & autor vitae, sed etiam quatenus est ipsa
vita aeterna i. Joh. 5. v. 12. i. Joh. i. v. 2.

Quod ulterius addunt, hoc epitheton ad *Deum Patrem*
referendum esse, in eo planè omnis modestiae repagula fran-
gunt, siquidem cuilibet, primò intuitu textum introspectanti ob-
vium est, Prophetam totum ad Christum transire.

VII. Cur Propheta in descriptione Regni Messiae potius
Davidis, quam Salomonis mentionem faciat, cum constet, Salo-
monis Regnum aliàs florentissimum fuisse?

Resp. hoc fit ideò, quia typus Regni Davidis rectius Antity-
po, Imperio Messiae responderet. Nam Salomo i. nullis antegres-
sis cum hostibus praeliis statim post obitum Patris Imperii cla-
vum tenendum accepit 2. à primo dominij tempore super sin-
gulas tribus Israelis potentiam exercere cepit 3. bonâ pace Im-
perii fascies gessit, nullis hostium insultibus (comparatè respectu
Davidis praesertim in initio Regni) perturbatus, quae omnia in
Christum non quadrant. E contrario verò in Davide clarus

D 3.

Messiae

Messiae typus praeluxit. Quemadmodum enim ille 1. multis exantlatis laboribus imperium occupavit: Ita Christum oportuit pati, ut in gloriam suam intraret Luc. 24. 24. 2 Sicut David primum saltem Rex audiit super Judam, postea verò super reliquas tribus, imò & gentes Psal. 60. 9. Psal. 108. v. 12. Ita Christus Regni sui cives primum, ex Judæa, postea verò ex gentibus collegit Act. 13. v. 46. 3. Ut David devictis demum hostibus benignò imperij onere subditos pressit: Sic Christus Ecclesiam, sanguine sibi comparatam ab hostium insultibus defensitat, donec eam in cœlestem Hierosolymam transferat.

Evangelio Phœnicæ.

Ex. v. 1. I. Quomodo Christus v. 1. Lux dici possit, cum etiam Johannes Baptista Lux ardens & lucens dicatur? Joh. 5. v. 35. R. Disting. inter appellationem Ipsam & Appellationis modum. Et Christus & Johannes vocantur lux, verum non Uno eodemque modò. Ille ἐξοχικῶς, ut in explanatione textus vidimus; Hic verò eatenus, quatenus hominibus in tenebris sedentibus doctrina & ministeriò suo lucebat, & sic Ipsi soli Justitiæ, paulò post orituro, locum parabat. Ille simpliciter vocatur lux; Hic verò cum adjecto Lux accensa.

v. 2. II. De Messia dicit Propheta, quod non magnificabitur letitiam, & tamen idem Esaias cap. 60. v. 5. de Judæorum Ecclesia refert, quod sit dilatatura cor suum, quando venerit fortitudo gentium? Resp. quomodo hic nodus solvendus sit in expositione Textus vidimus. Hòc locò saltem monemus, ultimam sententiam, quam ibi recensuimus admodum plausibilem esse, quippè quæ omnem contradictionem tollit.

v. 6. III. Vocabitur nomen ejus (Parvuli) Admirabilis, Consiliarius &c. qui tamen ab Angelo Matth. 1. v. 21. vocatur Jesus. R. 1. Matthæus describit nomen Impositionis; Esaias autem recenset nomina Dignitatis & officij. 2. Nomina illa se invicem non tollant, nam ideò etiam v. g. Admirabilis dicitur, quia admirandum redemptionis nostræ modum invenit, & sic salutem nostram procuravit. Ideò consiliarius vocatur, quia nobis de acquirenda salute dat consilium. Vide, si placet, Thomam p. 3. Summ. q. 37. Art. 2. p. 77.

IV. Christus

IV. *Christus appellatur Pater aeternus, cum tamen alibi nominetur Filius*
Pfal. 2. v. 7. & c. R. 1. Propheta non utitur voce Patris *Πατρός*
Ita enim soli primæ Personæ convenit. ut Joh. 15. v. 26. sed sumit
eandē *ὁμοῦ* quatenus omnibus Trinitatis Personis est cōmunis
non solum ratione creationis & conservationis, sed etiam ratione
adoptionis credendorū Mat. 6. v. 4. 2. Christus ratione officij h. l.
Pater dicitur, non tantum propter spirituales filiorum genera-
tionem, quæ fit per prædicationem Evangelij, sed etiam propter
hereditatis vitæ æternæ collationem.

V. *Regnum Christi dicitur aeternum, quod adversâ fronte pugnare*
videtur cum Paulo, qui 1. Cor. 15. v. 24. asserit, Christum traditurum esse
Regnum Deo Patri. R. Hęc distinctionis fœdere Propheta cum A-
postolo conciliari potest. Aliud est loqui de Regno Christi
per se, ac dicere illud *simpliciter* abolendum esse; Aliud verò loqui
de ejusdem forma, conditione & qualitate, ac *secundum* quid seu
certò duntaxat respectu, ejus finem statuere. Prius facit Propheta,
probè edoctus, Regnum Christi in se, juxtâ tenorem dictorum
Propheticorum aeternum fore; *Posterius* asserit *Apostolus* dispositi-
nem nimirum Regni Christi, seu quod idem est statum guber-
nationis Ecclesiæ præsentē cessaturam esse. Nam Christus in hoc
seculo 1. regnat in medio inimicorum suorum, quam militiam
in extremo die abrogabit 2. regnum gratiæ suæ exequitur per
ministerium Verbi & Sacramentorum, quod etiam in fine seculi
cessabit. Hanc suam mentem Paulus exponit Eph. 2. 26. ubi
fidelium inundationem ad militantem cœtum; earundem verò *exhi-*
bitionem, in extremo die futuram, ad *Triumphantē Ecclesiam* refert.

Loci Morales.

I. Docemur à Propheta, quanta sit *miseria hominum post la-*
psum, qui in Cimmeriis ignorantiae tenebris palpitare dicuntur.
In statu perfectionis fulgebat clarissima *Lux divinæ sapientiæ* in
Intellectu: *Lux naturalis ad bonum propensionis* in Appetitu ratio-
nali, *Lux puritatis* in appetitu sensitivo, *Lux impassibilitatis* in toto
corpore. Verum eheu! post commissum Protoplastorum
peccatum omnis *Lux* est extincta. In locum *Sapientiæ* succe-
runt tenebræ *ignorantiæ*; In locum *sensitivitatis* tenebræ *malitiæ*; in
locum

locum puritatis tenebræ libidinum; in locum impassibilitatis tenebræ
miseriarum ô miserabilem humani generis faciem!

Stat coma, mens horret, flet gena, dextra riget,

Quanta sit hominis nondum renati miseria non meis, sed elegantissimis Lutheri verbis, in quæ Tom. 3. Jen. Germ. f. 173. definit, exprimam: Das Geistliche Finsterniß ist das allergrößeste Unglück vnd vngnade; Hergegen das geistliche Liecht ist das aller größte glück vnd Gnade. Denn was kan greulichers seyn/ Als Blindheit des Herzen vnd vnwissen in Göttlichen sachen. Was kan lieblichers vud Edelers seyn / denn ein erleucht Herz vnd erkännuß Gottes? Dort kan nichts denn eitel böses seyn/ das auch guts nicht gut ist/ obs schon da wehre: Nie kan nichts denn gutes seyn / das auch ~~Gutes~~ nichts ^{Gutes} ist / obs schon da wehre: Denn was kan dem schaden der Gott selber kenne vnd Hat? Was kan dem frommen/ der Gottes beraubet ist; vnd den Teufel hat? Quapropter quô majoribus miseriarum tricis sumus involuti, eô diligentiori curâ de remedio nobis prospicere debemus. *Exorta nobis est Lux, Christus; Affulsit nobis lumen Evangelij.* Ad illam nostrorum oculorum aciem convertere; Juxta hoc vitam nostram componere debemus.

2. Multiplicatio & Vocatio gentium maximum Dei beneficium est, quo nos ad æternam observantiam & perpetuam gratiarum actionem invitat.

3. Evangelij Vox afflictis conscientiiis veram lætitiâ affert. Ardenti ergo devotione aures illi sunt locandæ.

4. Christus à spiritualibus hostibus nos liberavit. Caveamus ergo nobis, ne in illorum potestatem iterum redigamur.

5. Ex Prophetica loquendi consuetudine, quâ de rebus futuris, tanquam præsentibus loquitur, certitudinem verbi Divini discimus. Huc spectat pulcherrimum dictum Hugonis: *Quicquid in Scriptura S. docetur, veritas est: quicquid præcipitur, Bonitas est, quicquid promittitur, felicitas est. Quia Deus est veritas sine mendacio; Bonitas sine malitia, Felicitas sine Miseria.*

6. Incar-

6. *Incarnatio Filij Dei est certissima amoris erga nos indicina. Cum Loth à Rege Cedor-laomer captivus abduceretur, Abrahamus, singulari amore, quò erga Lothum flagrabat, excitatus, relicto tentorio suo, hostem persequeretur, ac cognatum suum in pristinam libertatem asserebat. Ast longè ardentior amoris Flamma ex Incarnatione Filij Dei emicuit! Infernalis Cedor-laomer nos in æternam abduxerat captivitatem. Christus verò Æternus Dei Filius relicto cœli habitaculo in mundum descendit, ubi cum hostibus certavit, & nos ex illorum potestate liberavit. O gratiam sine modo! ô charitatem sine exemplo! Magnificetur à nobis parvulus magnus Dominus, (ita loquitur Bernh. serm. 3. Super Missus est) quos ut faceret magnos factus est parvulus. Parvulus natus est nobis, non sibi, non Angelis, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Magnus dies Angelorum (loquor cum Augustino ex Serm. 22. de Tempore) parvus fit in die hominum. Conditor solis, conditus sub sole. Effector cœli & terræ sub cœlo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans, Mundum implens, in praesepio jacens, sidera regens: ubera lambens: Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec ista brevitatem magnitudo illa minueretur, nec illam magnitudine ista brevitatem premeretur, Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit &c. Diligamus igitur eum, quoniam ipse prior nos dilexit.*

7. Christus non solum verus homo, sed & verus Deus est

8. Quod ipse crucem pro nobis bajulavit, gratissimam mentem agnoscere debemus.

9. Quoniam Christus Admirabilis est, ideo nullis periculis vel tentationibus succumbere debemus, quippe qui scimus, diligentibus Deum omnia simul adjumento esse ad bonum Rom. 8. 28.

10. Si fluctuas aut nescis quid eligendum sit, summum cœlestis aulae consiliarium Christum ad; Si in salebris versaris & perplexus es, hunc consiliarium consule. Si depressæ mentis es, hunc consiliarum invoca. Si de vitæ statu deliberas & ignoras qui tibi salutaris sit, implora ejusdem auxilium. Is tibi instar columnæ Hebræorum viam in deserto hujus mundi monstrabit, ac in promissam terram viventium præibit. Ipse est nobis à con-

E

filij

filiis Ecclesiasticis, sincerum Dei cultum propagando Act. 2. 38. Est nobis à consiliis *Politis*, salutaria consilia Principibus instillando, instillata promovendo, ac sententiam decisivam in casibus dubiis suggerendo 1, Reg. 3. v. 25. Est nobis à consiliis *domesticis*, mediæ rei familiari inservientia, nobis offerendo Tob. 5. 5. Ipse est consiliarius *sapientissimus*, qui omnia *callet*; *laboriosissimus*, qui omnia *dirigit*; *fidelissimus*, qui omnia *procurat*.

11. Christus est *heros & Deus fortis*. In periculis ergo ingruentibus animum non abiiciamus, præsertim in hiscè exulceratis temporibus, ubi Ecclesia Dei instar navis in oceano hujus mundi variis persecutionum procellis quatitur. Christus est ille heros, qui furibundo hosti capistrum iniicere valet, qui *Sennacheribum* per Angelum fugare, *Herodem* per eundem occidere, *Nebucadnezarem* in desertum extrudere, *Julianum Apostatam* cœlesti fulmine percutere potest.

12. Christus nobis paterna præstat beneficia. Cur autem eum ut Patrem non veneramus? Mal. 1. v. 6.

13. Ad monemur de mutua pace colenda, quoniam Christus spirituales Pacem nobis attulit.

14. Regnum Christi est *æternum*, quod administrat in *judicio*, impios puniendo, & *justitia*, pijs præmia conferendo. Nobis itaque incumbit, vitam sobriam, & Christianorum nomine dignam ducere, ne cum *impiis ex debito* pœnas luamus, sed cum *pijs præmia ex gratia* reportemus.

PARS SECUNDA.

Verbum misit Dominus] Absolutâ primâ concionis parte, Esaias ad alteram transit, in qua horrenda comminationum fulgura ejaculatur, LXX. vertunt: *Θάνατον ἐπέσγηλε κύριος*, legentes *דבר* quod pestem notat, pro *דבר* quod Verbum significat. *Cornelius à Lapide* versionem hanc approbat, quia (inquit) *verbum illud, quod Dominus misit in Jacob, illi pestem & exitium reipsâ intulit*. Verum sententiam hanc non facimus nostram, quia 1. in textu Hebr non legitur *דבר* pestis, sed *דבר* 2. non statim Propheta pœnas denunciat, sed antequam id faciat, quædam præfatur, ut
textu

textus *συνηρηα* ostendit 3. non quaeritur hic, quid verbū illud Isra-
elitis portēderit & praedixerit; sed quid illud fuerit, quod Dominus
misisse dicitur. Hieronymus textum ita exponit: *Misit Deus Filium
suum ad Jacob, & venit ad Israel id est ad gentium populum.* Sed e-
nim 1. non verisimile est prophetam ad descriptionem Messiae
redire, quam modò in praecedentibus absolvit 2. Jacob & Israel
h. l. unum eundemq; populum, nimirum posteros Jacobi seu
Israelis per metonymiam efficientis exprimunt. Nos verbum
illud de Prophetia interpretamur, quae in textu sequitur, quaeq;
paenae fatales Israelitis praedicuntur.

Cecidit] *כפול* Vates ad similitudinem illam respicit, quā Ver-
bum Dei semini comparatur, quod in terram spargitur, ut suo
tempore emergat, ac vires suas exerat.

Et sciet omnis Populus] id est Experietur. Verba enim notitiae
apud Hebraeos affectum notant. Vulgata legit. *Et sciet.* Ast
fontes Veritatis ita fluunt: *וירעו הָעַם* & *cognoverunt populus*
(plurale cum singulari construitur ut supra) ubi non habetur
conversivum mutans significationem Praeteriti *וירעו* in significa-
tionem futuri, sed copulativum, quod illud cum praecedenti con-
nectit, & pro Praeterito habendum esse docet

v. 8.

Omnis] *כל* proprie Universitatem notat; at cum affixo (ut h. l.)
vim distributionis notat vid. Ps. 8. v. 8.

Ephraim] hoc est synecdochicè totum Regnum Israelis seu de-
cem tribuum.

Et habitantes] Hebr. *וְיָשְׁבוּ* ad praecedens nomen *הָעַם*
spicit.

Samariam] Hæc erat metropolis Regni.

Insuperbia] *בגאון* nomen à rad. *גאן* Altum seu excelsum
esse.

Et magnitudine cordis] Phrasi Hebraea idem vitium perstringi-
tur. Germ. *Hoher Muth.*

Dicentes] Heb. *וַיֹּאמְרוּ* ad dicendum:

Lateres ceciderunt] Recensens verba Hebraeorū, per lateres me-
tonymicè viliora ac infirmiora ædificia intelligit, quae dejecta e-
rant à Syris 2. Reg. 13. v. 3. & 7. & à Tiglat Pelassare 2. Reg. 15. v. 29.

v. 9.

Adeo enim elati erant Judæi, ut non solum accepta damna parvi aestimarent, & sua peccata præ fastu non agnoscerent, sed & superbiam suam in sumtuosis ædificiis declarare pergerent.

Sed quadru Lapidibus] Tremellius Hebr. לִבְנֵי אֲבָנִים per lapidem cæsum exprimit; Pagninus per levigatum. Lutherus ita: Ziegelsteine sind gefallen &c. Aliàs vox לִבְנֵי אֲבָנִים lapidem ferrò politum notat 1. Reg. 5. v 17. Sensus est: Passi quidem sumus cladem, cum habitacula nostra destruerentur; verum hoc non obstante elegantiora extruemus.

D. 10.

Sycomoros] id est per metonymiam materiz domos, ex ligno Sicomororum fabricatas.

De Sycomoro Dioscorides in lib. 1. de materia medica c. 144. p. mihi 104. ita scribit: Sycomorum aliqui etiam Sycaminum id est morum vocant, cujus fructus sycomorum etiam propter inefficacem gustum appellatur. Arbor est magna, fico similis, frondosa, multò lacte abundans, foliis mori, pomum ter aut quater anno affert, non ramis ut ficus, sed caudice ipso, caprifico non dissimile, dulcius grossus, sine granis interioribus, quod non maturescit, nisi ungue aut ferrò scalpatur &c.

Succiderunt] Rectius cum Pagnino & Tremellio legitur: Succisæ sunt. In Hebr. n. est Præt. pl. in עָרַדְתָּ à rad עָרַד succidit.

D. 11.

Sed cedros immutabimus] id est Præstantiora domicilia erigemus. Est עֲרֵב præcedentium.

Et elevabit Dominus] Descriptâ culpâ Israelitarum jam poenam subsequitur annectit.

Hostes Rasin:] רִצִּי Quoniam Israelitæ in Rezin ejusq; potentiam, propter copulam confederationis, quâ se invicem attingebant, magnam ponebant fiduciam, ideò Deus minatur, se contra eum hostes excitare velle, Assyrios scilicet, ut sequitur, cujus comminationis complementum vide 2. Reg. 16. v 7. & seq.

Super eum] Primò quidem super Resinem; deindè quoque super Ephraimitas.

Inimicos ejus in tumultum convertet.] Rectius ita legitur: *Et Inimicos ejus commiscebit.* In Hebr. enim יִמְצָדְתָּ fut. II. in Piel à rad. יָצַד quæ in Kal quidem Vngere; in Piel verò commiscere significat.

ficat. Confirmat autem Propheta sententiam suam modò expositam.

Syriam) Alij Heb. אַרְיָא reddunt. Syrios, quod est nomen proprium Viri Gen. 10 v. 22. à quo posteri Syri & Aramæi dicuntur.

Ab oriente) אֶרֶץ אֲשֶׁר אֶרֶץ אֲשֶׁר אֶרֶץ Ab anteriore parte.

Philisthim ab occidente] Philistæi, quorum Script. sæpius meminit, Israelitis infensissimi, ab occidente seu à tergo excitandi dicuntur. Nam Philistæi (ut Lutherus in præfatione super Esaiam autor est) respectu Hierosolymæ versus occidentem siti erant.

Devorabunt Israel toto ore) id est Regnum ipsorum penitus evertent. vid. 2. Reg. 16. 17. & 18.

In omnibus his) Heb. בְּכָל מְאֵד In omni hoc.

Non est aversus furor ejus. Non intelligit furorem Regis Assyrii, v. 12. sed Iram Dei, respiciens ad v. 8.

Sed ad huc manus ejus est extenta] scil. ad feriendum Israelitas. Manus de Deo אֵלֶּיךָ דְּעָוָן דְּעָוָן דְּעָוָן dicitur.

Et populus non est reversus] Causam exponit, cur Dei manus ad huc extenta sit, quia populus ad Deum per veram poenitentiam se non converterit. Hac enim dicitur: אָשׁוּבָה Regressus à rad. אָשׁוּב Deut 30. 2.

Et Dominum exercituum non inquisiverunt.) Duplici phrasi unam eandemque rem describit Verbum אִשְׁתַּחֲוֶה diligentem inquisitionem notat, quæ fit, quando vel seriæ preces ad Deum funduntur, uti hæc phrasis sumitur (Psal. 9. v. 11. Psal. 34. 5. vel mandata divina observantur 2. Chron. 14. 4.

Et disperdet Dominus &c.) In Heb. אֶרֶץ אֲשֶׁר אֶרֶץ id est excidet à R. אֶרֶץ complementum vide 2. Reg 17.

Incurvantem & Refrenantem) אֶרֶץ אֲשֶׁר אֶרֶץ id est Ramum & Juncum.

Longævus & honorabilis) Alii: Senex & honorabilis vultu seu elatus facie. Lutherus reddit verba Proph. in plurali ita: Die alten Christlichen Leute sind der Kopff.

Is est caput) Ratione Dignitatis, quam caput in ordine ad reliqua membra obtinet. Comparatur enim hic totum Reip. corpus venenatæ alicui bestię non secus ac cap. 7. v. 20.

E 3

Propheta

Propheta docens mendacium.) Qui mendacium quasi spargit. In Hebr. enim est participium in Hiphil מוֹרֵר à rad. מָרַר spargere proijcere, quod translato docere significat.

Ipsa est cauda) Ignominio sò hoc titulo PseudoProphetæ insigniuntur 1. ob venenum Doctrinæ, quo alios inficiebant 2. propter studium adulationis, quo cuncta ad placitum magnatum docebant. Coeterum ut per caput & caudam gubernatores populi notantur: Ita verisimile est per ramum & juncum juvenes & viduas, quarum v. 13. mentio fit, intelligi. Illi enim junco propter morum flexibilitatem, Hæ verò Arundini propter capitis (Mariti Eph. 5. v. 23.) abscissionem non incommodè comparari possunt.

v. 15. *Et erunt qui beatificant populum*) Ex Hebr. rectius: Et sunt beatificantes populum id est Pseudo Prophetæ.

Seducentes:) מְתַעִיב id est Errare facientes.

Qui beatificantur) id est qui inanibus verborum muscipulis à Pseudo Prophetis decipiuntur.

Præcipitati) Alii vertunt: absorpti; Alij: obteeti (tenebris ignorantia) Alij: perdit, quia Participium in Pual מְכַלְעִים illa omnia significare potest.

v. 16. *Propter hoc super adolescentulos ejus non lætabitur Dominus*) id est non parcat eis. Dicitur enim Deus lætari in populo, quando hic præceptis obtemperat, e contra verò legitur tristari, quando obicem Spiritui S. ponit Gen. 6. 6. Eph. 4. 30.

Et pupillorum ejus) In Hebr. est vox מְדַמִּים quæ gemellos significat Gen. 25. 4.

Viduarum non miserebitur) subest tacita ἀλλήλοισι: Qui aliàs pupillorum Pater, & viduarum Judex audit, is illis ob peccata non parcat. *Quia omnis hypocrita est & nequus*) Juxta tenorem verborum ita legitur: Quoniam totus ille (scil. populus) contaminatus seu hypocrita est & malus.

Et Universum os loquutum est stultitiam) Planius sic: omne os loquens stultitiam, stultitia autem h. l. pro peccatis & flagitiis sumitur ut Gen. 34. 7.

v. 17. *Succensa est quasi ignis Impietas*) Quidam verba Prophetæ de culpa & peccato Israelis exponunt quis d. P. Quemadmodum ignis, in sylvam immisus subito vires nanciscitur, ac in magnam flammam erumpit, ita, ut propter fumi ascendentis densitatem

acr

aer obscuretur: Sic impietas in Israele ubivis exarsit, ac maxima
apud omnes incrementum acquisivit. Alii existimant Esaiam
de poena loqui, & Iram Dei igni ardenti comparare, qui non so-
lum caput, sed & vulgum absumat, quod probant in genere ex illis
locis, in quibus furor Dei igni accenso assimilatur Deut. 33. 37.
Job. 31. 12: Esa. 26. 11. 12. in specie verò ex ipso textu, in quo Dominus
puniens & iratus introducit v. 14. Neutra expositio à textu est
aliena.

Veprem & Spinam vorabit) Heb. **לֶחֶם** comedet.

Et convolvetur in superbia fumi) id est in elevatione fumi.

In ira Domini exercituum conturbata est terra.) Exponi hæc possunt v. 18.
vel de poena impietatis pedisequa; calamitate scil. quo nomine
tenebrarum adumbratur v. 1 vel de culpa & ipsa omnium rerum
confusione, quæ tum temporis in populo Jud. grassabatur.

Et erit Populus quasi cibus igni) Respicit ad comparisonem in
præced. v. institutam.

Vir fratri suo non parcat.) Quisq; fratri suo non parcat. Notan-
tur Rapinæ & *אֶסְיָא*.

Et declinabit ad dextram:) Rectius: Et scindet (**אֶסְיָא** à R. **אֶסְיָא** ab-
scidit) quo verbo ipsa crudelitas & inexplebilis fames notatur.

Et comedet ad sinistram) Amplificatur Rapinæ per distributionem.

Et non saturabitur) Rectius saturati sunt: propter præf. pl. **שָׂבְעוּ** v. 19.

Vnus quisq; carnem Brachij sui vorabit] In Heb. sing. **אֶסְיָא** constr.
cum pl. **אֶסְיָאוּ** ut noceat vim distributionis. Per carnem Brachij,
sunt, qui intelligunt fratres & cognatos, qui ideò caro brachij
vocantur, quia sint quasi unum cognationis corpus, ita ut hic sit
sensus vatis: Quisq; cognatos suos opibus & vita spoliabit.
Alii verba Prophetæ de inexplebili fame exponunt.

Alij hyperbolen in iisdem quærunt.

Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen) id est Vna tribus aliam,
Ephraimitæ Manassitas devorabunt, inter quos alias fortius co-
gnationis vinculum intercedit.

Simul ipsi contra Judæam) id est Judæos.

In omnibus his non est aversus furor ejus &c.) Hic versus quasi in-
tercalaris est, & tertiâ vice jam sermoni Prophetico intermisce-
tur, quò infallibilis Prophetiæ veritas, & implacabilis iræ divinæ
severitas indicatur.

Quæstio

Quæstiones.

I. An ex h. l. quò Propheta ignis succensi meminit, Purgatorium probari possit?

Ita opinatur *Bellarmin.* l. 1. de Purg. c. 3. col. 119. fretus testimonio *Basilii*, qui super h. l. ita dicat: *Per confessionem peccatum arefieri, ut igne purgatorio post hanc vitam absorbi possit.* Verum *Bellarmin.* aquam cribro haurit. Nam l. hæc interpretatio textui maximam vim facit, quippè in quo tantùm de interitu Regni Israelitici agitur, ut hæctenus vidimus II. varia absurditatum monstra secum trahit: nam 1. Propheta loquitur de igne, impietatem succendente id est atrociam & mortalia populi peccata devorante; Ast ignis Purgat. non peccata mortalia, sed tantum leves venialium delictorum maculas purgat juxta *Bellarmin.* l. 2. de Purg. c. 1. in fine, 2. Propheta agit de igne similitudinario, non verò de reali & physico, dicit enim *Accensa est impietas (UNQ)* sicut ignis. Jam verò juxta eundem *Bellarmin.* Ignis Purgat. verus ignis est. 3. *Esaias* loq. de ejusmodi igne, qui non extinguitur, tribus enim vicibus hunc versum repetijt: *In hoc non est aversus furor eius &c.* At ex hypothesi Pontificiorum Deo per pœnas Purgatorii satisfacit, ut irâ erga illa flagrare cesset. 4. Dicitur hîc *Vnusquisq; carnem brachii sui vorare v. 19.* Num autem quæso in furno Purgatorio talis animarum mutua laniena & *ἀσρογία* est, ut una alteram deglutiat. Vident profectò omnes, qui non ad nauseam poculo Romanæ Thaidis inebriati sunt, *Bellarmini* locum planè *ἀλλότρητον* esse. III. Præterea Interpretamentum *Roberti* contrariatur orthodoxæ Antiquitati. *Hieron.* in comm. *Cyrill.* in lib. super *Esa* c. 6. *Lyran.* super h. l. & alii, qui à nostris stant partibus, & dictum Prophetæ de peccatis Israelitarum, & ira Dei exponunt. IV. *Bellarmin.* quidè speciosò *Basilii* titulo sententiam suam incrustat, verum truncatè eundem citat nam 1. ipse de purgatorio super terram loquitur, dicit enim hunc esse ignem, quem Christus venit mittere in terram *Luc 12. v. 49.* Item terrena tradi deponenda agni punitiva 2. verbis illis *Basilij* hæc addit: *Post hanc vitam.* V. saniores Pontificii ignem de Impietate intelligunt, & sic *Bellarmin.* turpiter deserunt. *Cornelius à Lapide* in comm. super h. l. verba Prophetæ de

de Impietate, stipulas vulgi & arbores nobilium devorante exponit, & Bellarm. argumentum, quod ex illis ducit plane silentio involuit. Similiter Maldonatus in comm. super Jerem. c. 4. v. 4. p. 21. & super Ezechiel. c. 28. v. 18. p. 87. textum Propheticum interpretatur.

II. Quomodo hæc propositio: *Honorabilis est caput*, sit exponenda?

Resp. *Piscator in Schol.* eam ita exponit: *Honorabilis significat caput. Verum latet anguis in herba.* Nullò enim Oedipò opus est, qui explicet, quorsum *Piscator* periculosâ hac locutione tendat, eò nimirum, ut simili glossematis cerussâ verba Institutionis obducere queat. Nos ei opponimus hanc regulam: *Tropus nunquam est in copula, de qua alibi fufius agitur.*

EVANGELIO *Qaveida*

1. *Deus suam misericordiam Israelitis denegat, qui tamen alibi profiteatur, se morte peccatoris non delectari.* Ez. 18. v. 32. . Resp. Ipsi non est res cum peccatoribus ejusmodi, qui sunt *sanabiles* de quibus apud Ezech loquitur, sed cum illis qui planè *obstinati & desperati* ad meliorem frugem redire nolunt.

2. *Deus manu suâ extensâ hostes elevaturus & bellum immissurus dicitur, & tamen David Belli immisionem manus hostium vocat, e contra verò pestem grassantem, quam manum DEI appellat, pro bello eligit.* 2. Sam. 24. v. 14. Resp. 1. Possunt verba illa: *Manus ejus extensa est*, non tantum ad cladem, quam perpeffuri erant Israelitæ, sed etiam ad omnes pœnas in genere, quas prædicit Propheta referri. 2. Quamvis pœna illa, quâ Deus hostes excitat, etiam suò sensu vocetur manus DEI, ratione nempe *directionis ac præscientia*, tamen electioni Davidis, quâ pestem mavult sufferre quàm bellum, sua adhuc constat integritas: nam *Manus hostium* 1. sunt *sceleratissimæ*, quæ neq; innocentibus parcunt 2. sunt *nocentissimæ*, quia miseros homines tantis verborum ac afflictionum sarcasmis exagitant, ut non solum corpus, sed & animam interdum in exitium præcipitent, sicut quotidiana experientia testatur. 3. sunt *iniquissimæ*, quæ non subsistunt vel quiescunt, sed omne servitiæ genus exercere pergunt. Contra verò DEI manus 1. est *sanctissima*, quæ saltem ob peccata punit Psal. 90. v. 9. 2. *moderatissima*, quæ pijs in morte solatium præbet, quippè quibus Mors est janua ad vitam. 3. *optima*, quæ non sinit nos tentari suprâ id quod possumus 1. Cor 10'

V. 13.

F

Loci

Loci Morales.

1. Deus hunc ferè ordinē sequitur, ut peccatores per Ministros de peccatis & penitentia agenda commonefaciat, antequam pœnas ingruere permittat, idq; facit ideò 1. Ut omnes sciant se acerbissimum peccati odium profiteri 2. Ut pensculent pœnas non forte fortuna, sed propter antegressa scelera immitti. 3 ut aliqui ad penitentiam invitentur. 4 ne pertinaces peccatores habeant, quod prætendant.

2. Superbia luxurians, securitas, & si quæ sunt alia ingentia peccata, ingentes pœnas antecedere solent.

3 Hostes divinitus excitantur, ut supplicia à præfractis peccatoribus sumantur.

4. Quo diutius & longius pœnæ divinæ extrahuntur, eò graviores evadunt, quando immittuntur.

5. Respubl. est corpus membris etiam noxijs constans, quæ amputari & abscindi legitimo modo debent.

6. Pseudodoctores sunt venenata membra, quæ alios inficiunt.

7. Grassante vno peccato plura sequi solent.

8. Hypocrisis est peccatum, DEO quàm maximè exosum.

9. Quando irascitur Deus, tunc omnes Reip. status & ordines perturbantur.

10. Ab impœnitentibus non cessat ultio divina. Emendemus igitur vitam per seriam penitentiam ne etiam nos Deus, irâ commotus, excindat. Revertamur à malo ad bonum, à morte ad vitam, à tenebris ad lucem. Similes sumus Israelitis in culpa, cur non similes esse mus in pœna? Hanc ut avertamus, illam tollamus.

Flagrat Deus igne iræ suæ adversus peccata. Extinguamus hunc copiosissimo preciosissimi sanguinis Christi imbre, nec omittamus lacrimas veræ & salutaris penitentia, quæ bonorum operum ferax esse solet. Neq; enim salutaris est penitentia, quam subsequens coinquinat culpa & Malitia.

Claudite jam Rivos textus, sat pra-
ta biberunt.

DEO SOLI GLORIA.



I.

προσφωνησις

*Ad Præstantissimum & doctissimum Dn. M. Respondentem,
Fautorem & amicum suum honorandum, per allusionem
ad præmialia Disputationis.*

Quid, nisi palmarem laudis ferat ille corollam,
Quo, nisi prælargo munere dignus, ovet?
Historica pandit quicumq; sacraria *Capsæ,*
Jucundaq; alios utilitate beat:
Quiq; simul *Legum* numerosa Volumina censet,
Divini enodat judiciumq; fori.
Atq; salutaris quî sit *Medicina* paranda,
Monstrat, quæ corpus sospitet atq; animam.
Et pulcra hinc referat qui *Thesauraria, & Hortos,*
Ingentes oculis deliciasq; facit.
Qui *Fundam, Scutum, Loricam* ritè ministrat,
Cunctaq; queis hostis funditur, *Arma* docet.
Qui veras depromit *Opes Epulasq;* salubres
Expedit, atq; sitim *Fonte* subinde levat.
Singula qui præstat, benè rem gerit, indeq; largam
Laudis materiem promeruisse potest.
At verò; SCHNEIDERE, uno feliciter ausu
Dum nobis isthæc exhibuisse cupis;
Quid, nisi palmarem laudis mereare corollam,
Quo nisi prælargo munere dignus oves.

Fusa

à

M. Samuele Hain.

Culmbacens. Franco.

Genti



GEenti, quam mentis quasi cinxerat alta caligo
 Lumen, Esaias, clarum promittit, eadem:
 Quod splendore suo, nos letificante coruscat.
 Atq; suâ Divâ naturâ nobile, fulget.
 Prædicat hoc lumen præsentis temporis cætus
 Gentibus ex coecis conversus Christicolarum
 Sed falsis glossis non obfuscare verentur
 Judæus, Photinus, calvâq; rasiq; secta.
 Manè aufert primus, naturam denegat alter.
 Lucem postremi minuunt errore maligno.
 Ast has errorum nebulas SCHNEIDERE repellis!
 Sincera lucem fidei docteq; repurgas.
 Gratulor ergo pio tibi de conamine Fautor
 (Quod multa specimen doctrinæ prodit apertè)
 Faxit jova bonus, qui lux clarissima, detq;
 Ut tandem in cathedra temploq; refulgeat aucta.
 Lux tua, luxq; sis gloriosa apud astra beata!

Amicitia ergò approp:

M. Christianus Jngen.
Chemnic.

F I N I S.



05 A 438


ULB Halle 3
004 208 870



LOA








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ATIO
AIÆ,

r adjuvante,

ssimi & Clarissimè

LYSERI,

& Professoris pu-

toralium Inspectoris

RICI, Præceptoris ac

antiâ ætatem.

icit.

HNEIDER

o.

io Majori.

NI THAM,

